CONSTITUTIONES FRATRUM DISCALCEATORUM...

Carmelitani scalzi : Congregazione di S...




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26. H
43

C.



CONSTITVTIONES FRATRVM DISCALCEATORV CONGREGATIONIS S. ELIÆ, ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELI






VENETIIS

Typis ANDREÆ POLETI

MDCLXXXXV.

Sū pro Dn

zel. zel. Deo Exe



JESUS MARIA.

FR. PHILIPPUS A S. NICOLAO *Præpositus Generalis Fratrum Discalceatorum, Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo Congregationis S. Eliæ, ac ejusdem Sancti Montis Prior.*

Cum exemplaria nostrarum Constitutionum alias Romæ, Parisiis, & in Belgio impressa, penè jam consumpta sint, & aliquæ in eis desiderentur ordinationes, quæ ab anno 1655. usque ad præsens in Constitutiones transierunt; Visum est definitorio nostro Generali novam impressionem Venetiis committere. Idcircò R. P. F. Andreæ à Cruce Congregationis nostræ Sacerdoti Professo injungimus, ut eam curet, promoveatque nulla omissa diligentia, ut secundum exemplar à nobis transmissum excudantur. In quorum fidem præsentes dedimus proprio nomine subscriptas, & sigillo officii nostri munitas.

Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ de Scala die 25. Junii 1695.

Fr. Philippus à S. Nicolao Præpositus Generalis.

Locus † Sigilli.

Fr. Quintinus à S. Carolo Definitor Generalis Secretarius.


PRIMITIVA ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE CARMELO.

A B. ALBERTO PATRIARCHA JEROSOLYMITANO TRADITA,

ET AB INNOCENTIO IV. Confirmata.



LBERTUS, Dei gratià, Jerosolymitanæ Ecclesiæ vocatus Patriarcha, dilectis filiis, Brocardo, & cæteris Fratribus Eremitis, qui sub ejus obedientia, juxta fontem Eliæ, in monte Carmeli morantur, in Domino salutem, & sancti Spiritûs benedictionem. Multifariè, multisque modis, sancti Pa-



tres instituerunt, qualiter quisque in quocumque Ordine fuerit, vel quemcumque modum Religiosæ vitæ elegerit, in obsequio Jesu Christi vivere debeat, & eidem fideliter de corde puro, & conscientia bona deservire. Verùm, quia requiritis à nobis, ut juxta propositum vestrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere in posterum debeatis.

De Priore habendo, & tribus sibi promittendis.

ILlud in primis statuimus, ut unum ex vobis habeatis Priorem, qui ex unanimi, omniumque assensu, vel majoris, & sanioris partis, ad hoc officium eligatur: cui obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare, * cum castitate, & abdicatione proprietatis.

De receptione locorum.

*LOca autem habere poteritis in Eremis, vel ubi donata vobis fuerint, ad vestræ Religionis observantiam apta, & commoda, secundùm quod Priori, & Fratribus videbitur expedire.

De Cellis Fratrum.

*PRæterea, juxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrùm singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis, eædem cellulæ cuique fuerint assignatæ.

De

De communi refectione.

* ITa tamen, quòd in communi refectorio, ea, quæ vobis erogata fuerint, communiter aliquam lectionem sacræ Scripturæ audiendo, ubi commodè poterit observari, sumatis. Nec liceat alicui Fratrum, nisi de licentia Prioris, qui pro tempore fuerit, deputatum sibi mutare locum, vel cum alio permutare. Cellula Prioris sit juxta introitum loci, ut venientibus ad eumdem locum primus occurrat, & de arbitrio, & dispositione ipsius postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant. Maneant singuli in cellulis suis, vel juxta eas, die, ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.

De horis Canonicis.

HI, qui horas Canonicas cum Clericis dicere norunt, eas dicant secundùm constitutionem SS. Patrum, & Ecclesiæ approbatam consuetudinem. Qui eas non noverint, viginti quinque vicibus Pater noster dicant in nocturnis vigiliis, exceptis Dominicis, & solemnibus diebus, in quorum vigiliis prædictum numerum statuimus duplicari, ut dicatur Pater noster vicibus quinquaginta. Septies autem eadem dicatur Oratio in Laudibus Matutinis. In aliis quoque Horis, septies similiter eadem dicatur oratio sigillatim, præter officia vespertina, in quibus ipsam quindecies dicere debeatis.

De non habendo proprium.

NUllus Fratrum sibi aliquid proprium esse dicat: sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique per manum Prioris, vel per Fratrem ab eodem ad idem officium deputatum, prout cuique opus erit, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum.

Quod licet habere in communi.

* ASinos autem, sive mulos, prout vestra expostularit necessitas, vobis habere liceat; & aliquot animalium, sive volatilium, ad nutrimentum.

De Oratorio, & cultu divino.

ORatorium, prout commodius fieri poterit, construatur in medio cellularum, ubi manè per singulos dies ad audienda Missarum solemnia convenire debeatis, ubi hoc commodè fieri potest.

De Capitulo, & correctione Fratrum.

DOminicis quoque diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, de custodia Ordinis, & animarum salute tractetis: ubi etiam excessus, & culpæ Fratrum, si quæ in aliquo deprehensæ fuerint, charitate mediâ corrigantur.

De Iejunio Fratrum.

IEjunium singulis diebus, exceptis Dominicis, observetis à festo Exaltationis sanctæ Crucis, usque ad diem Dominicæ Resurrectionis; nisi infirmitas, vel debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat: quia necessitas non habet legem.

De

De abstinentia carnium.

AB esu carnium * abstineatis, nisi pro infirmitatis, vel * debilitatis remedio sumantur. Et quia vos oportet frequentiùs mendicare itinerantes, ne sitis hospitibus onerosi, extra domus vestras sumere poteritis pulmenta cocta cum carnibus: sed, & carnibus supra mare vesci licebit.

Exhortationes.

QUia verò tentatio est vita hominis super terram, & qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur; adversarius quoque vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret; omni sollicitudine studeatis indui armaturâ Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici: Accingendi sunt lumbi vestri cingulo castitatis, muniendum est pectus cogitationibus sanctis: scriptum est enim, Cogitatio sancta servabit te. Induenda est lorica justitiæ, ut Dominum Deum vestrum, ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & tota virtute diligatis, & proximum vestrum tamquam vos ipsos. Sumendum est in omnibus scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: sine Fide enim impossibile est placere Deo. Galea quoque salutis capiti imponenda est, ut de solo Salvatore speretis salutem, qui salvum facit populum suum à peccatis eorum. Gladius autem spiritus,

quod eſt vērbum Dei , abundanter habitet in ore,& in cordibus veſtris : & quæcumque vobis agenda ſunt , in verbo Domini fiant . Faciendum eſt vobis aliquid operis , ut ſemper diabolus inveniat vos occupatos , ne ex otioſitate veſtra aliquem intrandi aditum ad animas veſtras valeat invenire . Habetis in hoc beati Pauli Apoſtoli magiſterium pariter , & exemplum ; in cujus ore Chriſtus loquebatur , qui poſitus eſt à Deo prædicator, & Doctor gentium, in fide, & veritate; quem, ſi ſecuti fueritis, non poteritis oberrare. In labore (inquit) & fatigatione fuimus inter vos, nocte, & die operanres , ne quem veſtrùm gravaremus : non quaſi nos non haberemus poteſtatem , ſed, ut noſmetipſos formam daremus vobis , ad imitandum nos . Nam, cùm eſſemus apud vos , hoc denuntiabamus vobis : quoniam ſi quis non vult operari, non manducet . Audivimus enim , inter vos quoſdam ambulantes inquietè,nihil operantes . His autem, qui hujuſmodi ſunt , denuntiamus , & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto , ut cum ſilentio operantes , panem ſuum manducent . Hæc via ſancta, & bona ; ambulate in ea .

De Silentio .

COmmendat autem Apoſtolus ſilentium , cùm in eo præcipit operandum . Et quemadmodum Propheta teſtatur , Cultus juſtitiæ ſilentium eſt .

Et

uſque ad Primam dictam ſequentis diei. Alio verò tempore, licet ſilentii non habeatur obſervantia tanta, diligentiùs tamen à multiloquio caveatur. Quoniam, ſicut ſcriptum eſt, & non minùs experientia docet: In multiloquio peccatum non deerit. Et qui inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. Item, qui multis utitur verbis, lædit animam ſuam. Et Dominus dicit in Evangelio: De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicii. Faciat ergo unuſquiſque ſtateram verbis ſuis, & frænos rectos ori ſuo (ne fortè labatur, & cadat in lingua ſua, & inſanabilis ſit caſus ejus ad mortem) cuſtodiens cum Propheta vias ſuas, ut non delinquat in lingua ſua, & ſilentium (in quo cultus iuſtitiæ eſt) diligenter, & cautè ſtudeat obſervare.


Exhortatio Prioris ad humilitatem.

TU autem Frater Brocarde, & quicumque poſt te inſtitutus fuerit Prior, illud ſemper habeatis in mente, & obſervetis in opere, quod Dominus ait in Evangelio: Quicumque voluerit inter vos major fieri, erit miniſter veſter: & quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.

Exhor-

Exhortatio Fratrum, ut Priorem suum honorent.

VOs quoque cæteri Fratres Priorem vestrum honorate humiliter; Christum potiùs cogitantes, quàm ipsum, qui posuit ipsum super capita vestra; & Ecclesiarum Præpositis ait: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit, ut non veniatis in judicium de contemptu, sed de obedientia mereamini vitæ æternæ mercedem. Hæc breviter scripsimus vobis, conversationis vestræ formulam statuentes, secundùm quam vivere debeatis. Si quis autem supererogaverit, ipse Dominus, cùm redierit, reddet ei. Utatur tamen discretione, quæ virtutum est moderatrix.



PAPA OCTAVVS

AD PERPETUAM

Rei memoriam.


N ſupremo Apoſtolatus ſolio, meritis licet imparibus, immenſa Redemptoris noſtri benignitate conſtituti, inter cæteras Apoſtolicæ ſervitutis curas, illa Nos jugiter ſollicitos habet, ut Religioſi viri, præſertim ſub ſtrictioris Obſervantiæ regulis Altiſſimo famulantes, fœlicioribus in dies in viis Domini proficiant incrementis. Quamobrem, ſi quæ propterea facta fuiſſe comperimus, illa, quò firmiùs ſubſiſtant, exactiuſque obſerventur, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis munimine roboramus, prout ad Dei gloriam, fœlicemque ipſorum Re-

ligiosorum statum, & directionem conspicimus in Domino salubriter expedire. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii, Ferdinandus à Sancta Maria Præpositus Generalis, ac Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum, Congregationis sancti Eliæ Italiæ, quòd pro fœlici prosperoque Congregationis hujusmodi regimine, & gubernio, nonnullæ Constitutiones editæ fuerunt, tenoris subsequentis; videlicet,

CONSTITUTIONES FRATRUM DISCALCEATORUM CONGREGATIONIS SANCTI ELIÆ, ORDINIS BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ De Monte Carmelo.

PROLOGUS.

De Instituti nostri ratione.



QUamquam universi, quos æternæ fœlicitatis tenet desiderium, in opera charitatis incumbunt: quia tamen charitatis actus duplex est; amor nimirum Dei, & proximi; Sancta Mater Ecclesia filiorum suorum studia in duas

duas classes discrevit; è quibus una Deo soli vacaret, altera proximo, propter Deum, inserviret.

2. Nostræ verò Religioni duplex bonum hoc, ordine servato, divinitùs collatum est, ut potior ejus pars esset rerum divinarum contemplatio, & amor; posterior autem esset actio, ea præsertim, quæ ad proximorum salutem pertinet.

3. Quam vitæ rationem, ex Dei, & proximorum amore compositam, Patres nostri Elias, & Eliseus, non scripto, sed rebus gestis instituerunt, & posteris observandam tradiderunt.

4. Quam etiam, apparente Evangelii luce, tantorum Patrum filii in Oriente imitati sunt; parique animi magnitudine in Occidente clarissimi Sancti, Angelus, Albertus, Petrus Thomas, Andreas Fesulanus, aliique multi exercuerunt: præcipuè autem Sancta Mater nostra Teresia à Jesu, nostræ Discalceatorum Congregationis fundatrix, tum rebus præclarè gestis, tum cœlesti doctrinâ, quam in suis scriptis reliquit, instituti hujus normam mirum in modum instauravit, nosque ad ejus perfectionem consequendam incitavit. Inter cætera verò sapientissima, ac planè divina ejus monita, ad nos potiori Jure spectant, quæ in altissima quadam mentis elevatione constituta, ab ipso Christo pro nostra institutione accepit, ejusque

jussu

jussu nobis tradidit, in hæc ferè verba: In alta mentis elevatione constituta à Domino revelatum est mihi, ut his Patribus Discalceatis nomine ipsius dicerem, ut summo studio quatuor sequentia monita servarent, ac certò sibi persuaderent, quòd quamdiu ea custodierint, tamdiu majores progressus Religio hæc factura sit; ubi verò in eis defecerint, à primæva Instituti sui perfectione declinabunt.

Primò. Religionis capita, seu Superiores, sint invicem conformes, & uniti.

Secundò, multa licet Cœnobia haberent, pauci nihilominus Religiosi in singulis morentur.

Tertiò. Parcè admodum cum sæcularibus conversentur, idque pro suarum animarum spirituali salute.

Quartò. Operibus magis, quàm verbis doceant. Piissima hæc, & divina effata, locupletissimæ hæreditatis loco, à tanta Matre nobis testamento relicta, à veris ejus filiis fidelissimè impleri, æquum est.

5. Et quamvis ad eam vitæ rationem explendam, Regula nostra, quid fieri oporteat, aptè tradiderit: quia tamen brevis admodum èst, & per eam expresse tradi non potuit, quod ad eventus singulos, ætates singulæ, moresque requirunt; nonnullas Constitutiones, multis experimentis probatas, Regulæ ipsi consentaneas, in


Gene-

Generalibus Capitulis Religio noſtra ſancivit, quæ in tres partes dividuntur.

In prima quippe agitur, de actibus ad mores attinentibus.

In ſecunda, de diverſorum Conventuum inſtitutione.

In tertia, de gubernatione, quæ prædicta cuncta tuetur.



PARS

PARS PRIMA CONSTITUTIONUM DE

Communioribus totius Congregationis actibus ad mores attinentibus.

CAPUT PRIMUM.

De Obedientia.

1. TOtius Monasticæ disciplinæ basis obedientia est, quâ Religiosus in statu proprio constituitur, & ad Christianam perfectionem comparandam promovetur.

2. Quapropter Fratres nostri, ut obedientiæ voto, trium solemnium præstantissimo, perfectè satisfaciant, partes observantiæ totius, quæ obedientiæ amplitudine comprehenditur, explorent, & observent.

3. Hujusmodi verò partes sunt Regula, Constitutiones, Ordinarium, Manuale, Instructiones, & mandata Superiorum; quorum discrimina, & obligandi vim, à veris Religiosis ignorari non decet.

4. Re-

4. Regula quippè, exceptis votis, & Officio divino, ibi contentis, ad culpam tantùm venialem obligat. Constitutiones autem, Ordinarium, Manuale, Instructiones, & mandata Superiorum, non ad culpam, sed ad pœnam impositam, vel à Superiore imponendam obligant; nisi contemptus adsit, aut contrarium ejus, quod statuitur, ex natura sua, aut aliunde culpa sit.

5. Sola trium votorum solemnium, & quarti de non ambiendo, gravis transgressio, & divini Officii omissio, mortalis est. Obedientiam autem tunc solummodò Religiosus noster transgreditur, cùm ea, quæ per scriptum sub forma li præcepto, vel censura, his verbis: In virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, jubentur, non observat.

6. At Religiosi veri, licet hæc obligationis discrimina explorata habere debeant, sic tamen erga Superiores Christi vicem gerentes affici debent, ut quidquid ab eis, seu scripto, seu verbotenus injungitur, eâ mente perficiant, quasi omissio, vel repugnantia mortalis esset.

7. Quam obedientiæ perfectionem, ut acquirant, præcipimus, ut ad communes actus, signo convocati, sedulò conveniant, & officia quævis, per communem tabulam eis injuncta, perficiant, litterasque sine Superioris, eas, partim saltem lecturi, concessu, nec mittant, nec recipiant, nec scribant, sub pœ-

na

na gravi : scriptas verò apud Superiorem relinquant, qui epistolas Religiosorum paci, aut profectui nocentes, vanosque rumores nuntiantes, prout ei in Domino videbitur expedire, recipi, aut mitti non permittat. Et Prælati ipsi, ut cæteris exemplum præbeant, hæc omnia in suis epistolis diligentiùs evitent. In dimidio tantùm folio, paupertati consulentes, tam Superioribus, quàm extraneis scribant, nisi negotii longitudo, aut externarum personarum dignitas aliud exigat. Superiori tamen proprio litteras scribere, & ab eo recipere, absque alia venia liberum sit.

8. Præcipimus deinde, ut nihil, quamvis minimum, etiam ad corporis refectionem, cujusmodi est aquæ potus, præter communes horas, vel ad animæ alimoniam, cujusmodi est Eucharistiæ Sacramentum, præter designatos cunctis Fratribus dies, sine Superioris venia, sumant: quod, & in rebus ad vestimentum, & libros, totamque Claustri disciplinam pertinentibus, observari præcipimus, ut satisfiat Regulæ dicenti: Et de Superioris arbitrio postmodum, quæ agenda sunt, cuncta procedant.

CA-

CAPUT II.

De Castitate.

1. BEatissimæ Virginis filios singulari decet Castitate nitere: quæ, licet in corde sedem habeat, externam sensuum custodiam quoque requirit.

2. Quamobrem Fratres nostri, & motus internos, & sensus externos, oculos præsertim, ita moderentur, ut nihil non castum patiantur, aut præ se ferant.

3. Familiaritatem mulierum, etiam pudicarum, vitent; cùmque Dei oculis omnia nuda, & aperta sint, eas allocuturi, ita modestè se gerant, ac si in Ecclesia ipsa cum populi frequentia versarentur.

4. Ut autem ab omni specie mali hujus abstineant, præcipimus, ut foras prodeuntes, bini, ac individui procedant, ne aliquod ex separatione periculum immineat.

5. Cùm verò mulieres foris alloquuntur, vel earum Confessiones audiunt, ostium loci pateat; ut socius alter, si velit, alterum facilè videre possit.

6. Si quis autem (quod Deus avertat) quidpiam parùm castum commiserit, si occultum sit, & spes emendationis adsit, statim socius illum secretò corripiat.

7. Si tamen factâ correptione videat se non profuisse; aut, ante factam, re prudenter expensâ, non cre-

dat

dat ſe profuturum; revelet culpam alicui, quem profuturum exiſtimet: quo deficiente, revelet Superiori pio ac prudenti, cujus conſilia efficaciora ſunt.

8. Si tamen ſæpè, aut ſemel tantùm labentem, ſed uno lapſu bono Religionis nomini nocentem videt; Superiori, tamquam Patri, aut pro qualitate culpæ, Superiori, quaſi Iudici deferat, ut ſubditi lapſi ſalutem quærat, & bonum Religionis nomen ſublatum reſtituat.

CAPUT III.

De paupertate.

1. VT Redemptorem noſtrum, qui, cùm eſſet dives pro nobis egenus factus eſt, Fratres noſtri perfectiùs imitentur, præcipimus, ut bona omnia ſint omnibus communia; & ſub nullo prætextu rem aliquam, etiam minimam, tamquam propriam ullus poſſideat, vel ſuo tantùm uſui domi, foriſve reſervet.

2. Domus noſtræ, quæ miſſionibus deſtinatæ non ſunt, in urbibus, vel oppidis magnis ſitæ, frui nequeant ullis propriis reditibus, niſi in caſibus §. 4. ponendis. Nomine autem redituum intelligimus etiam prædia, ſive poſſeſſiones frugiferas, & quodlibet aliud ſtabile etiam frugiferum, præter hortos compe-

tentes,

tentes, aut ſtabile aliud, ſine cujus poſſeſſione Fratres in Conventibus quietè, & ſine ſubiectione vivere non poſſunt; aut ſtabilia alia, quæ non ſint reditibus percipiendis deſtinata, quamvis nonnihil emolumenti indè proveniat. Quæ omnia à Definitorio Provinciali judicentur.

3. Si in oppidis parvis, vel extra urbes, & oppida, Conventus noſtri fuerint; Præpoſitus, ac Definitores Generales, re maturè conſideratâ, ſolius neceſſitatis rationem habentes, concedere poterunt, ut aliquis ex iis Conventibus reditus habeat.

4. Conventus noſtri omnes, pro Miſſis, aliiſve functionibus piis, annuos reditus moderatæ quantitatis recipere poſſint: qua in re, ſi dubium oriatur, à Definitorio Provinciali decidetur. Præcipimúſque, ut ſi fructus integrè non percipiantur, ſine culpa ex parte noſtra, pro rata ſolummodò Miſſas dicere teneamur; & ad nihilum, ſi nihil percipiatur. Qua de re benefactores moneantur. Quod verò ad quotidianarum Miſſarum numerum attinet, non recipiant plures eleëmoſynas, quàm eas, quibus brevi ſatisfieri poſſit; nec eam, quæ citò conſumatur, ſub onere perenni relicto. Pro una Miſſa, una tantùm pitantia ſecundùm conſuetudinem, vel loci Ordinarii declarationem, recipiatur; niſi quis ſponte majorem eleëmoſy-

nam

nam obtulerit; & Missæ anticipatæ pro incertis personis, vel eleemosynis applicari non possint, * juxta Decretum sacræ Congregationis Concilii Tridentini anno 1605. emanatum.

5. Ne Fratres nostri pia opera contemnere videantur, quasi conscientiâ coacti, ratione hæreditarii Juris, Legatorum, aut rerum, testamento, aut quovis alio modo relictarum, possint litem movere de consensu Capituli Conventualis, ac de licentia Provincialis, & non aliter. Quòd si gravis necessitas aliud exigat, & periculum sit in mora; tunc solùm de consensu conventûs, cum omnibus suffragiis, litem movere poterunt: quod, per sæcularem Procuratorem semper fiat. Statim verò Provincialem certiorem faciant, cujus mandato litem cœptam prosequantur, vel ab ea abstineant. Provincialis autem in proximo Definitorio Provinciali rem totam pertractet; ac juxta ipsius Definitorii decretum ulteriùs in lite procedatur, vel ab ea desistatur. Similiter, quando ab aliis lis movetur, jus Religionis, ut obligationi satisfaciant, Fratres nostri modestè poterunt defendere.

6. Bona omnia Conventûs in communes officinas reponantur, & asserventur; & indè ministri à Superiore designati, inspectis ætatibus, & necessitatibus singulorum, ac de Superioris ipsius venia, unicuique necessaria

ſaria provideant: ſine Superioris autem venia nullus quidpiam recipiat, vel reſervet, aut ulli donet, vel cum ſæculari, aut etiam Religioſo, permutet.

7. Omnia ex officinis deprompta, & Fratrum uſui ſemel attributa, Superior ad nutum auferre, aut permutare valebit; qui ſupervacanea quæque, & elaborata, in Monaſterio pauperum eſſe non permittat: ejuſmodi quippe omnia, præſertim aurea, argentea, vel ex materia qualibet pretioſa, etiam devotionis gratiâ, Religioſis omnibus prohibemus. Fratres ſimul, ac rerum uſu non eguerint, in communes officinas reponant; qui autem hac in re culpam commiſerit, pœnam mediam ferat.

8. Singulorum Fratrum cellæ, ſic inſtruantur: Lectus fiat ex corticibus arborum, ſeu ex tabula una, vel pluribus, latus circiter quatuor, altus duos ferè palmos; qui duas, vel tres tantùm lodices, nullo artificiali colore tinctas, & pulvinum laneum lanâ plenum habebit. Infirmis verò permittitur aliquod ſtramentum. Menſa ſit inelaborata, & apta libris neceſſariis ſuſtinendis; quibus, ſi fortè non ſufficiat, fulcimentum aliquod ligneum impolitum concedatur: ſedile verò ſit ligneum, aut paleis, vel herbis textum. Potiſſima verò ſupellex ſit Crux, & aliquæ imagines ex charta, & non aliæ pretioſiores, ad excitandum affectum opportunæ.

9. Quia

9. Quia verò tam modica ſupellex, & nullius propria, cuſtodia ulla inter domeſticos, niſi ab extraneis, non eget, arcas, & capſas omnes obſeratas, & cellarum claves Fratribus prohibemus. At commune aliquod inſtrumentum, quo cellæ ſæcularibus clauſæ, à Fratribus communiter claudi, aperique poſſint, in morem volumus induci, ubi opus eſſe Provinciali videbitur.

10. Præpoſitus autem, Definitores Generales, Provinciales, Procurator Generalis, ad ſuarum functionum ſcripta, ſingulorum Conventuum Procuratores, ad communium expenſarum nummos ſervandos, parvam capſam obſeratam, Priores verò in arca trium clavium conditam arculam ad officii ſui litteras, epiſtolaſque ſecreto dignas reponendas, habere poſſint. Alii verò Religioſi ſub nùllo prætextu, etiam pio, pecuniam ullam, puta, ut eam reſtituant, aut in eleëmoſynas diſtribuant, apud ſe retinere poſſint; ſed eam in arca trium clavium aſſervandam deponant, vel Priori ſervandam tradant: res item alias ſibi creditas in communibus officinis cuſtodiendas deponant.

11. Prohibemus Religioſis noſtris, ſine expreſſa Prioris venia eleemoſynam quamlibet, bona incerta, reſtitutiones, legata quæcumque, & ſimilià omnia, ut aliis quibuſcumque certis, vel incertis perſonis ea donent,

vel diſtribuant, petere, aut eadem ſponte oblata ſine ejuſdem expreſſa licentia, aut præter modum in tali diſtributione ab ipſo Superiore præſcribendum, diſtribuere, ſub pœna gravi: aut denique depoſita quæcumque, pœcuniæ, ſeu alterius rei apud ſe, vel in Conventu, ſeu extrà, niſi re priùs manifeſtatâ Priori, & ab ipſo impetratâ licentiâ, retinenda acceptare, ſub eadem pœna.

12 Religioſi noſtri, cujuſcumque conditionis ſint, verbi gratiâ, Novitiorum Magiſtri, Sacriſtæ, Hortulani, & alii (Procuratore, ac Proviſore Conventûs pro quotidianis impenſis excepto) nullo modo, etiam pro neceſſariis ad proprium officium, pecunias apud ſe retineant, nec Prælati ad id veniam impertiantur; ſed pecuniæ ex arca trium clavium accipiantur, & in uſus Conventûs per miniſtros expendantur. Procuratores verò, Donati, aut alii miniſtri, ſine expreſſa Prælatorum licentia pecunias non conſumant, nec alia qnæcumque ullo modo alienent ſub pœna gravi.

13. Nullus, etiam charitatis, obtentu, eleemoſynam aliis, etſi parentibus, aut germanis fratribus, erogandam ultra unum aureum ſine venia Definitorii Provincialis poſtulet. Ad eam verò quantitatem Prior Conventus veniam poterit impertire. Hac verò Conſtitutione eleemoſynas à Concionatoribus

toribus è pulpito postulari solitas non prohibemus, dummodò pro necessitatibus nostrorum Conventuum nihil postulent.

14. Si quis (quod nunquam fore in Domino speramus) de proprietatis culpa convincatur, per annos duos, juxta Concilij Tridentini decretum, vocis activæ, & passivæ eo ipso privationem incurrat, ac præterea in carcerem per duos menses sine ulla dispensatione includatur.

CAPUT IV.

De Oratione mentali.

CUm Instituti nostri potior pars sit contemplatio, ad quam per continuam Dei præsentiam, & statutas quotidianasque orationis horas tendendum est: Decernimus, ut singulis diebus, ante vel post Primam per unam horam, & pariter ante vel post Completorium pro temporum discrimine, ut in Ordinario traditur, per unam similiter horam fiat mentalis oratio: ad quam per totum annum, tum manè, tum vespere, pulsetur horâ quintâ, exceptâ oratione Vespertinâ à Paschate usque ad Exaltationem sanctæ Crucis; ad quam dimidiâ horâ ante quintam pulsetur. In Conventibus verò studiorum, & Eremis, ea quæ pro ipsis proprijs in locis sunt statuta, servabuntur. Universos autem Religiosos nostros in Domino

hortamur, ut cæteris occupationibus intermissis, ad orationem sedulò accurrant; quòd si iustis de causis orationi communi interesse nequiverint, curent,] ubicumque fuerint, etiam in itinere constituti, illo vel alio oportuniori tempore orationi vacare.

2. Fiet autem vulgò communis oratio in Choro, vel in alio ad quietem commodiore loco, qui nec obscurus, nec nimiâ luce illustratus sit: in quem postquam Fratres convenerint, præmissâ Antiphonâ: Veni sancte Spiritus, & Oratione: Deus qui corda fidelium, &c. legetur aliquid ex designato piarum meditationum libro, quod præbeat materiam meditandi; peractaque lectione, usque ad finem horæ silentes orabunt.

3. Horâ verò ab ingressu elapsâ, Præside incipiente, dicant omnes Antiph. Sub tuum præsidium; Præsesque subiungat Orationes: Protege Domine, Ecclesiæ tuæ, Deus virtutum, Deus veniæ largitor, Prætende Domine: quibus interdum poterit adiungi alia de venia Superioris, ac in hunc modum absolvatur oratio.

4. Curet autem Superior, ut inter Fratres non Choristas totius noctis horæ distribuantur, & orationi coram Sanctissimo Sacramento vacent: quòd si noctu vacare non possunt, communi intersint orationi, vel horis aliis à Superiore ipso designatis orent.

CA-

CAPUT V.

De Officio Divino.

1. VT perfectiùs obtemperetur Ecclesiæ, Regulæque nostræ, quæ Divini officii debitum à Fratribus Clericis requirit: præcipimus, ut audito primo quarumvis horarum Canonicarum signo, Fratres ab aliis operibus desistant, & ante ultimum signum ad locum destinatum celeriter conveniant; ac inde ad Chorum, Psalmum pro loci distantia alternatim dicentes, incessu gravi modestè accedant, ibique Divinum Officium simplici voce, uno, parique sono, Ecclesiæ Romanæ more, juxta litteras fel. rec. Sixti V. religiosè persolvant.

2 Horæ matutinæ semper mediâ noctè dicantur; nisi obstet urgens necessitas, quæ quàm rarissimè admittatur. Cum verò, ex tali necessitate nocte mediâ intermittuntur, ita prorogentur, ut ante horam orationis manè solitam recitentur, & statim solita fiat oratio; præterquam in Octava Corporis Christi, in qua Ecclesiæ consuetudinem Fratres nostri poterunt observare.

3. Completorium à Paschate usque ad Exaltationem sanctæ Crucis, statim post Vespertinam recreationem, reliquo verò tempore immediatè ante, vel

vel post orationem Vespertinam, pro diversitate temporum, semper recitabitur, nisi aliqua justa causa prorogari, vel anticipari debere persuadeat.

4. Reliquæ horæ Canonicæ à Fratribus loco, & tempore, modoque in Ordinario præscriptis, pro diversitate solemnitatum sedatè dicentur; & Matutinum cum Laudibus regulariter per unam horam, & quartam ejus partem; Prima verò, & Completorium, ultra quartam horæ partem, ordinariè perdurent: at Vesperæ dimidiâ ferè horâ, & si cantentur, nisi aliud major solemnitas postulaverit, tribus circiter horæ partibus persolventur. In singulis verò aliis horis minoribus, nempè Tertia, Sexta, & Nona, ferè quarta pars horæ consumetur. Officium parvum Beatissimæ Virginis cum minori pausa, semper tamen devotè persolvi debet. Missa festiva, vel solemnis, quasi unâ horâ terminetur. Hora verò minor præcedens, si cantetur, mediâ circiter horâ perduret. Præscriptæ autem durationes ab ipso initio Officii Divini, vel Sacri, computandæ sunt. In Conventibus verò studiorum, & Eremis, propriæ Instructiones serventur; Missa privata, dum in publico celebratur, per dimidiam circiter horam, sed non ultra extendatur.

5. In omnibus Cœnobiis, diebus Dominicis, ac Festis primæ, & secundæ clas-

classis, ac Festivitatibus Domini, & Beatissimæ Virginis, in Festo Exaltationis sanctæ Crucis, & in Festis de præcepto anni totius, in Festis quoque consuetudinis, quæ vim præcepti habent, & in Sanctorum Religionis nostræ solemnitatibus, Missa cantetur. In Sabbatis verò totius anni, juxta modum in Ordinario præscriptum, Missa cantabitur; Antiphonaque Salve Regina in Sabbatis, & in Vigiliis omnibus Beatissimæ Virginis cantetur. Litaniæ quoque Beatissimæ Virginis post Vesperas, & in Quadragesima post quietem meridianam, in Choro recitentur.

6. Fratres non Choristæ precum suarum debitum ex Regulæ præscripto solvant; Festisque diebus maiori Missæ, ac horis Vespertinis intersint.

CAPUT VI.

De Sacris Confessionibus.

1 SAcramento Pœnitentiæ, cum intima culparum, etiam levium, detestatione, Fratres nostri frequenter utantur, ut maiorem fructum percipiant.

2. Expedit autem ad huiusmodi fructum percipiendum, designatos habere Confessarios: quapropter statuimus primùm, ut Fratribus professis non Sacerdotibus, etiam in Conventibus Nouitiatus, duos, & ubi opus esse videbitur,

bitur, plures ordinarios Confessarios, præter Superiorem, à Provinciali approbatos, Superior quisque designet; quibus tantùm Fratres illi confiteantur, extra quos, cùm Superior expedire iudicaverit, poterit concedere, ut alicui Patri è Conventu, & à Provinciali non approbato, Fratres confiteri possint: quod & rarò concedet, & ad unamquamque Confessionem sigillatim veniam dabit.

3. Ii verò, qui à Provinciali, ad Confessiones audiendas Fratrum, veniam obtinuerint, in Conventibus, quorum Conventuales sunt, sine Priorum expresso consensu, eâ fungi nequeant. Poteritque Prior, cùm id in Domino expedire crediderit, ab eâ functione suspendere Confessarios.

4. Si veròquis ex prædictis Confessariis, sine Prioris expresso consensu, alterius Religiosi Confessionem audierit; quamvis Confessio valida sit, uterque tamen gravi pœnâ puniatur.

5. In virtute sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto, omnibus nostræ Congregationis Religiosis præcipimus, ut Confessarium ex nostris nacti, alicui extraneo, nisi de expressa suorum Superiorum licentia, non confiteantur, & qui in hoc deliquerit, graviori pœnâ puniatur. Conventûs verò Superior ordinarius in eventu rarò facultatem ad hoc concedere possit. Superiores autem ipsi, facultate ex-

tranеis

traneis confitendi à Iure ipsis concessa abutentes, pœna suspensionis à Visitatore, per tempus ab eodem definiendum, plectantur.

6. Fratres nostri hospites, dum per Conventus nostræ Congregationis transeunt, vel ibi hospitantur; Fratres item nostri iter agentes, cuilibet è nostris Sacerdotibus ad Confessiones audiendas in Congregatione nostra approbatis, aut, approbatis deficientibus, cuilibet simplici Sacerdoti nostro possint confiteri, sine alia venia Superiorum nostrorum.

7. Quando tamen nostri Fratres iter agentes copiam Confessarii è nostris non habent, aut justa de causa extra Conventum manentes commodè nostris confiteri non possunt, Confessario externo Religioso, vel sæculari confiteri poterunt.

8. Declaramus autem, Sacerdotes nostræ Congregationis, qui Generalis, vel Provincialis, vel Prioris respectivè, vel aliàs juxta nostras Constitutiones, licentiam ad audiendas Confessiones non habent, non posse Confessiones etiam Sacerdotum nostrorum audire; talesque Confessiones nullas esse, &, si quod esset Privilegium, vel consuetudo in contrarium, eidem præsenti statuto renuntiamus, quantum ad nos attinet.

9. Confessarii verò sic Fratribus nostris pœnitentiæ Sacramentum mi-

 nistrent,

niſtrent, ut facultatis ſuæ modum obſervent, prout in Declarationibus expoſitum eſt. In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto, omnibus Religioſis noſtris, tam ſubditis, quàm Prælatis, præcipimus, ne unquam utantur ſcientiâ Confeſſionis in dandis ſuffragiis, neque in gubernatione domûs.

10. Univerſos autem Fratres hortamur in Domino, ut ordinario ſuo Confeſſario, quem levi de cauſa mutare non deberent, bis per hebdomadas ſingulas confiteantur. Prælatos etiam monemus in Domino, ut ad paternum erga ſubditos amorem fovendum, illorum Confeſſiones libenter, & ſi ab eis petatur, frequenter audiant; ſubditoſque ipſos, ut Prælato ſuo crebrò confiteantur, ut is eorum morbos habeat exploratos, & paternis viſceribus eos ſolari, medcrique valeat.

CAPUT VII.

De ſacroſancto Eucharistiæ Sacramento.

1. NIhil eſt, quod ad unionem divinam æquè conferat, ac Euchariſtiæ frequens, dignaque ſumptio. Quamobrem ſtatuimus, ut Fratres noſtri, tam Novitii, quàm profeſſi non Sacerdotes, omnibus diebus Dominicis, Feſtiſque Domini, Beatiſſimæ

tiſſimæ Virginis Titularis, & Patronæ præcipuæ Ordinis, Angelorum, Apoſtolorum, Omnium Sanctorum, Eccleſiæ Tituli, Patronorum Ordinis, nempè ſancti Eliæ, & ſanctæ Matris noſtræ Tereſiæ, ſancti Joſeph præcipui Protectoris noſtræ Congregationis, ſancti Eliſei, aliorumque ſimilium, ſacram Euchariſtiam ſumant. Si verò Feſta nimis frequentia ſint, ob Sacramenti venerationem Communio aliqua ad Superioris nutum poterit omitti. Feriis etiam quintis, ſi intra hebdomadam nullum Feſtum occurrat, Fratres noſtri Communionem recipiant.

2. Ut verò Fratres tantum Sacramentum quietiùs recipiant, & gratias agant; aliquantum poſt primam dictam privatæ Miſſæ omnes ſimul interſint, & Euchariſtiam ſimul recipiant, iiſque diebus, de Euchariſtia, aut ſolemnitate occurrente, vel quovis ſimili, collationem ſpiritualem tempore ſolitæ recreationis meridianæ habeant.

3. Univerſi autem Fratres, etiam Sacerdotes, die Cœnæ Domini de Superioris celebrantis manu ſacram Communionem ſumant.

4. Caveant verò Sacerdotes, ne Miſſæ celebrationem, niſi ex morbo, aut alia rationabili cauſa, ac de Superioris conceſſu, ullo die prætermittant.

CAPUT VIII.

De examine Conſcientiæ, ac Diſciplina.

1. PUrgandæ conſcientiæ ſtudium, iis, qui ad contemplanda divina purgatos cordis oculos habere cupiunt, valdè neceſſarium eſt. Quapropter Fratres noſtri conſcientiæ mundandæ curam gerant.

2. Primùm quidem, ſigno prandii dato, omnes in Chorum conveniant, genibuſque flexis per octavam ferè horæ partem ſuas examinent conſcientias; ſignoque ſurgendi dato, dicentes Pſalmum De profundis, ad Refectorium ordinate procedant.

3. Deinde, antequam cubitum eant, ad eumdem modum convenientes, conſcientiam ſinguli ſuam examinent. Qui autem in Chorum ire nequiverint, ubicumque fuerint, examen hujuſmodi faciant.

4 Ut verò culpas, quas Fratres per examen quotidianum in ſe ipſis agnoſcunt, pœnitentiæ vindictâ deleant, & pro Eccleſiæ pace, perfectione, & ampliatione Deum exorent; præcipimus, ut per totius anni curſum, tribus in hebdomada diebus, feria nimirum ſecundâ, quarta, & ſextâ, quamdiu Pſalmus Miſerere mei cantabitur, ſinguli Fratres ſe ipſos in communi verberent. Pſalmo verò abſoluto di-

cent Antiphonam: Christus factus est pro nobis obediens, &c. Præsesque subjungat Orationes: Respice, Protege, Ecclesiæ tuæ, Fidelium Deus, Prætende Domine, datoque signo cessabunt. In Hebdomada verò majori, tribus continuis diebus, scilicet feriâ quartâ, quintâ, & sextâ, ad Chisti passionem celebrandam, flagellabunt se in communi Fratres nostri, quamdiu Psalmus Miserere ter cantabitur.

5. Ab ordinaria tamen disciplinæ lege, in præfatis feriis occurrentes dies festi Nativitatis, feria secunda Resurrectionis, & Pentecostes excipiuntur; sed si in prædictis feriis secunda, quarta, & sexta, Vigilia Nativitatis Christi, Circumcisio, Epiphania, aliaque similia Festa inciderint, pridie illorum dierum, se Fratres verberabunt, nisi fuerit Dominica, quia tunc Sabbato fiet.

CAPUT IX.

De Iejunio, & mensæ frugalitate.

1. CUm Jejunii fructus, quo mens alitur, uberrimus sit; æquum est Fratres nostros, de proventu majore cogitantes, Ecclesiasticis Iejuniis, quæ aliis communia sunt, alia plura, & longiora subjungere.

2. Quapropter præter diuturnum illud,

illud, quod juxta Regulam ab inclusa Exaltatione sanctæ Crucis usque ad Pascha observatur, jejunabunt Fratres nostri omnibus Vigiliis Beatissimæ Virginis, in Vigilia Corporis Christi, in Vigilia S. Patris nostri Eliæ, in die sancti Marci, (nisi Dominica fuerit) & tribus Rogationum diebus, ac universis sextis feriis anni totius: ita ut in Quadragesima, * Quatuor Temporibus, & Ecclesiæ Vigiliis, Adventu, ac Vigiliis Beatissimæ Virginis, quadragesimali victu, juxta patriæ morem, utantur; reliquis verò diebus jejuniorum Ordinis nostri, lacteis cibis, & ovis vesci possint.

3. In communi autem victu frugalitatem commendamus; ita ut quamvis Domus quavis ex causa bonis affluat, non ob id solito hucusque victui Prælatus quidpiam novum apponat, sed necessariis providè ministratis, temperantiæ virtutem colat. Si autem in hoc genere deliquerit, ad nutum Præpositi puniatur.

4. Si verò (quod evenire solet) Fratribus aliquid defuerit, meminerint, se paupertatem Christi profiteri, & intimè gaudeant oblato tantæ virtutis exercitio.

Ex iis ergo, quæ ad Conventus nostros Christiana charitas miserit, in Refectorio (extra quod raro, & admodùm justa de causa Superiores vescantur,

cantur, vel ſubditos veſci ſinant) æquales partes omnibus miniſtrentur, nullique unquam diverſum aliquid, vel diversè conditum, abſque neceſſitate, & expreſſa Superioris venia, detur. Superior contrafacienti, ſicut extra menſam, tempuſque commune comedenti, pœnam mediam imponet.

6. Sedulò curet Superior, ut omnes ad primam menſam conveniant: extraneos verò, præſertim ſæculares, admodùm raro, & cautè ad communem menſam introducat. Nemini autem cujuſvis conditionis, carnes, vel earum jus, aut pulmenta cocta cum eis, ullo pretextu in Refectorio apponantur, nec apponi permittantur. Similiter non permittatur hoſpitibus alterius Religionis, imò neque ſæcularibus, intra clauſuram veſci carnibus, niſi infirmis.

7. Si quis ad urbem, oppidumve, ubi Conventum habemus, è Clauſtro exierit; nullam eſcam, neque potum ibi ſumat, niſi rarò, & ex gravi neceſſitate, ac de Superioris expreſſa venia. Superior verò tranſgreſſori gravem pœnam imponat.

8. Carnibus autem extra clauſtra nec Subditi, nec Superiores veſcantur, niſi ægrotantes, habitaque Prælatorum venia, quam ſecum è Monaſteriis ſcriptam ferant: qui verò in hoc deliquerit, gravem pœnam per duos dies intercalatos ferat.

9. Hor-

9. Hortamur autem Fratres noſtros, extra clauſtra juſta de cauſa veſcentes, ne facilè utantur indulgentiâ Regulæ, quæ pulmenta cum carnibus coƈta permittit, ne ſint hoſpitibus oneroſi: quod efficient, ſi levi de cauſa non credant ſe fore hoſpitibus oneroſos.

10. Ordinamus autem, ut, juxta Congregationis noſtræ conſuetudinem, feriâ ſextâ majoris Hebdomadæ in pane, & aqua, vel in partibus Septemtrionalibus in pane, & cerviſia jejunetur.

CAPUT X.

De Fratrum indumentis.

1. VEſtium aſperitas, & ruditas viros Apoſtolicos decet.

2. Sint ergò veſtimenta Fratrum noſtrorum Clericorum ex rudiori panno, ejuſdem in omnibus formæ, & coloris griſii, præter pallium, & præter interiorem tunicam, & ſubligacula, quæ alba erunt.

3. Habitus uſque ad tres ferè digitos à ſolo ſit longus, cujus inferior circuitus duodecim: vel pro corporis quantitate quatuordecim palmorum latitudinem non excedat. Manicæ duorum palmorum brevium ambitum habentes, ad manus medias pertingant.

4. Scapularis latitudo palmum unum, ac dimidium non excedat, longitudo palmum unum à ſolo deſinat.

5. Ca-

5. Capucium grisium, & album, capitis formæ respondeant, & nullum in occipitio cacumen habeant: quorum latitudo, quâ parte super humeros cadit, sit paulò extensior scapularis latitudine; & à tergo altiùs zonâ digitos quatuor in acumen desinant.

6. Zona sit coriacea, & nigra, duos digitos lata, quæ rudi fibulâ ferreâ, vel osseâ stringatur, & circiter palmum à solo desinat.

7. Pallium palmo uno altius scapulari desinat; cuius latitudo corpori ità respondeat, ut nequè nimis angustum, nequè amplum sit.

8 Tunica exterior (quæ indigentibus concedi poterit) sit eiusdem coloris cum habitu, supernè stricta, infernè latior, & habitu aliquantò breuior.

9. Tunica interior lanea sit, è tenuiore stamine, quàm exterior, & altiùs terrâ palmos duos desinat.

10. Subligacula ex rudi tela linea fiant, quæ ob pudorem nunquam exuantur, & sub genua desinant.

11. Sudariola ad emungendas nares lanea sint, colore habitui similia, vel ex eo, & albo mixta.

12. Sandalia sint coriacea, quæ quibusdam corii particulis, velut brachiis, latitudinis quasi digiti unius, calcaneo, & medio pedi soleas astringant, & quoad cætera pedes nudos ostendant: quæ duas, vel tres tantùm soleas habere præcipimus,

13. Hæc

13. Hæc Fratribus Choriſtis erunt communia. Tonſura verò ita fiat, ut corona, ſeu clerica, tres circiter digitos ſit lata, & ſuper aurium ſummitatem deſinat. Barba ultrà dimidium digitum latum non nutriatur.

14. Novitij iiſdem veſtibus induantur; ſed ad Profeſſorum diſcrimen, è deſinente à tergo capucio, appenſam rudis panni oram gerant.

15. Fratres verò Donati, pallio, cæteriſque veſtibus eiuſdem cum habitu noſtro griſii coloris ſine capucio utantur, eorumque habitus palmum dimidium à ſolo deſinat.

16. Prior, nec ullus Superior, veſtes alias, aut alterius formæ, ultrà præſcriptas non permittat: ſi verò contrafecerit, ipſe, ac is cui licentiam conceſſerit, gravi pœnâ puniantur. Non tamen propterea charitatem erga ægrotantes & debiles volumus diminui; quibus omnia neceſſaria miniſtrari præcipimus, ita tamen ut paupertati congruant.

17. Fratres dum cubant, ſcapulari parvo utantur, quod ſaltem duobus palmis ſit longum, & uno latum, quo ſimul & tunicâ interiori accincti dormient: qui autem in hoc defecerit, pœnam mediam feret; ſed qui tunicâ interiori exutus dormierit, gravi pœnâ punietur.

18. Animadvertant verò Fratres, palmum, quo in hoc capite uſi ſumus,

non

non esse eum, quo ædificia metimur, sed breviorem alium, cujus mensura ad Constitutionum calcem describetur.

19. Denique nullus sanus, vel æger, suum habitum, hoc est, scapulare exuat, sed ægrotantibus tenuius permittetur.

CAPUT XI.

De Silentio.

1. Cum linguæ licentia Instituti nostri partem potiorem, quâ mens tacita Deo vacat, & graviter lædat; Fratres nostri sint tardi ad loquendum, temporaque distinguant.

2. Quando enim silentium illud sanctum colitur, quod, juxta Regulam, à Completorio usque ad proximi diei Primam dictam extenditur, verba omnia, quæ sine detrimento in tempus silentii non adeò stricti differri possunt, sub pœna media, etiam in Cellis Superiorum, prohibemus.

3. Reliquo verò diei tempore, licet non præcipiamus adeò strictè silentium coli, valdè tamen illud commendamus. Proptereà præcipimus, ut nullus Fratrum cum alio, seu Religioso, seu sæculari, ex professo loquatur, nisi de expressa Superioris venia, & tunc voce submissa.

4. In Choro autem, Claustro, Dormitorio, Refectorio, & Cellis, quæ loca

loca ſanctiora ſunt, religioſiùs Fratres ſilentium obſervent.

5. Verba omnia otioſa, non tantùm noxia, Fratres noſtri accuratè vitent, & ex more Sanctorum, de piis rebus, juxta oblatas ſibi occaſiones, ſermonem inſtituant. Sæculares autem, cum quibus agent, piis ſententiis ad rem prudenter accommodatis, ſemper ad pietatem hortari conentur. Qui verò in prædictis occaſionibus inter Religioſos contra fecerit, levi pœnâ; qui autem inter ſæculares, mediâ puniatur, & prætereà Superior abſtrahat eum ab occaſionibus cum ſæcularibus colloquendi.

6. Fratres noſtri inter ſe amanter valdè, ſuaviterque loquantur: qua in re ſi defecerint, pro culpæ modo, pœnam ferant.

7. Cùm verò in communi opus aliquod efficiunt, vel ſileant, vel Pſalmos recitent, vel etiam de divinis rebus verba faciant; aut denique aliis audientibus, pium aliquid unus è libro legat, ne Regulæ, nos in ſilentio operari præcipientis, ſpiritum extinguant.

CAPUT XII.

De otio vitando, & Cellarum receſſu.

1. VT Regulæ noſtræ, otium vitandum graviter monentis, ſenſum obſervemus, præcipimus, ut nullus Superior Fratres in Clauſtro otioſos eſſe per-

permittat: ſed curet, ut omnes intra, vel extra Cellas utiliter occupentur, ſinguliſque ſpiritualia vel corporalia exercitia, prout in Domino expedire putaverit, præſcribat.

2. Cùm verò Regula præcipiat, ut maneant ſinguli in Cellulis ſuis; præcipimus Superioribus, ut Fratres duos in Cella una manere non patiantur. Non ſolùm autem Fratres noſtros ſingulos in Cellulis ſuis manere, ſed neque nocte, neque die alterum in alterius Cellam ingredi poſſe, decernimus: contrà verò facientes die, mediam pœnam; noctè verò, gravem ferant. Qui verò quovis tempore Superioris abſentis Cellam ingreditur, gravem pœnam ſemper incurrat.

3. Ne quis autem Regulæ verba ad otioſum egreſſum detorqueat; declaramus, ea verba (iuxta eas) ubi præcipit ſingulis, in Cellulis ſuis, vel iuxta eas manere, de illis Cellulis apertè intelligi, quæ olim, & nunc alicubi ſeparatæ conſtruuntur, iuxta deſcriptionem habitationis Eremiticæ poſtmodum tradendam; non verò de Clauſtri Cellis, inter quas nihil eſt intervalli.

4. Quamobrem nullo tempore liceat ulli in noſtris Conventibus degenti, extra Cellas ex profeſſo manere, vel deambulare, niſi de Prioris expreſſa venia: quòd multò arctius obſervandum eſt à Completorio expleto; Tunc enim Fratres ſtatim in Cellas ſuas

ſuas ſe recipere feſtinabunt; è quibus, niſi ad neceſſaria naturæ, aut ſine Superioris venia non exibunt. In Cellas autem ingreſſi, à quouis ſtrepitu abſtineant, qui à proximis Cellis poſſit audiri.

CAPUT XIII.

De Modo quoad exitum è Clauſtro.

1. IN Regula noſtra graviter decretum eſt, ut ſemper in Cellis Fratres noſtri perſeverent, niſi alijs iuſtis occaſionibus occupentur.

2. Quia verò eiuſmodi juſtæ occaſiones plures, quàm ſint, facile finguntur; monemus Fratres noſtros, ut parcè admodum è Clauſtro exeant, feſtis præſertim diebus, quibus domi attentiùs Deo vacandum eſt.

3. Ut autem huic rei modus imponatur, ſtatuimus, ut Fratres noſtri ad eleëmoſynas oſtiatim mendicandas, nunquam foras egrediantur; licet hoc per Donatos fieri non prohibeamus. Religioſos quoque Choriſtas ad eleemoſynas petendas, extra Oppida & Civitates, in quibus Monaſteria habemus, à Superiore mitti binos, non prohibemus. Sed hoc non fiat, niſi in caſu neceſſitatis, & pro rebus à Definitorio Provinciali declarandis. Ad mortuos autem ſepeliendos, & Proceſſiones publicas, Fratres noſtri non exeant, niſi

in

in terris Infidelium, vel ubi hæreses grassantur, quando peculiarior ibi aliqua necessitas urget.

4. Ad Confessiones verò audiendas, & juvandos morti proximos vocati, aliaque, similia officia pietatis (quibus officiis primi Discreti, vel ipso absente antiquioris, Patris Conventûs consensu, videatur satisfaciendum) Fratres nostri prodire valeant, & tunc ad aliud se divertere non possint, & recessus exactam curam gerant; neque propter juvandos morti proximos (quantum per ipsos fieri poterit) extra Claustrum pernoctent; quòd si omnino pernoctandum sit, venia Superioris priùs impetretur. Ad Confessiones verò ordinariè audiendas non decumbentium, etiam Principum, & Prælatorum, exire non possint, nisi de licentia Præpositi Generalis. Examinatores quoque Synodales, Consultores sancti Officii, Visitatores Monialium, Pœnitentiarii ordinarii, qui similia munera publica extra Congregationem habent (quæ sine Præpositi, vel Provincialis venia à Religiosis nostris non Superioribus acceptari nequeunt) ad sua officia exercenda foras exire poterunt. In aliorum autem Ecclesiis, etiam nostrarum Monialium, excepto aliquo casu rarò, in quo expressa licentia Prioris præcedat, Confessiones audire non possunt, nisi tempore Jubilei, vel in Hebdomada sancta, aut in aliis similibus

milibus

milibus eventibus, in quibus Definitorium Provinciale, prout judicaverit, poterit Religiosis nostris, ad hoc vocatis, exeundi facultatem concedere. Si verò casus aliquis rarus, in quo Definitorium consuli non possit, occurrat, Provincialis licentia cum consensu Prioris, & Discretorum sufficiat. Alii verò Fratres, præter supradictos, à Superiore foras non mittantur, nisi propter hospitum frequentiam, aut negotiorum multitudinem, cum aliquo Conventu, ut, præter prædictos, unus tantùm possit exire, Provincialis dispensaverit.

5. Nullus è nostris Fratribus subditus, aut Superior, etiam Confessionis, aut prædicationis gratiâ, ad Monasterium aliquod Monialium accedat, nisi earum Superior id petat, & licentiam ab eo, ad quem attinet eam concedere, obtinuerit; & tunc fiat de Prioris expressa venia, sub vocis, aut loci privatione ipso facto incurrenda. Nullus è nostris Fratribus esse possit ordinarius Confessarius Monialium aliorum Ordinum.

6. Nullus præterea è nostris extra Conventum habitare sinatur, etiam ut alicui Cardinali, vel Principi sit à sacris Confessionibus

7. Prior, & Procurator, quorum exitu, & labore cæteri Fratres intra claustra perseverant, ad expedienda negotia, justa ex causa, egrediantur, Poterit etiam alius, qui, Procuratoris vices gerat, exi-

exire; ita tamen, ut quando Procurator fuerit extra domum, alius loco Procuratoris exire nequeat. Hortamur autem illos, ut, si fieri possit, negotia omnia in unum, duosve dies hebdomadæ conferant, quibus ea prodeuntes expediant. Quia verò externa negotia, pietatis intuitu suscepta, observationem Regulæ nostræ, recessum tam seriò præscribentis, frequenti exitu enervare possent; præcipimus, ut Fratres nostri, tam Superiores, quàm Subditi, juxta consilium Apostoli aientis: Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus; à sæculi negotiis, etiam pietatis obtentu gerendis, accuratissimè abstineant, nisi charitate Christianâ cogi videantur: neque Superiores, vel subditi admittant alicujus negotii expeditionem, etiam pietatis prætextu, ad quam è Claustro sæpè prodire sit necessarium, sub pœna de illis, pro culpæ modo, sumenda. Consanguineorum autem negotiis nemo se immisceat, nec eorum curam suscipiat; cùm precibus potiùs ad Deum fusis, quàm exterioribus adminiculis, consanguineos à veris Religiosis juvari deceat. Quapropter Provincialibus, & Superioribus, conscientiam eorum onerantes, injungimus, ut ad hæc licentiam, nisi in aliquo casu valdè raro, non concedant; cùm, experientiâ teste, maximæ inde relaxationes provenire valeant. Religiosos autem in his se in-

ingerentes, vel ad ea propensos, ab occasione, ad alia Monasteria extra patriam eos mittendo, separent. Ubi verò Monasterium nostri Ordinis non fuerit, Religiosi nostri, ad consanguineos invisendos, in propriam patriam, si ibi pernoctare debeant, à Priore non mittantur, nisi de Prouincialis in scriptis licentia; quam, ad vitanda spiritualia pericula, vrgente solùm necessitate concedet.

8. Fratres domo exeuntes, ac redeuntes, coram sanctissimo Sacramento, vel alio ad id designato loco breuiter orent, ut Deus illorum exitum, introitumque custodiat, & Superioris benedictionem flexis genibus poscant; nullus autem e nostris, etiam hospes, Claustro sine Superioris venia egrediatur, sub gravi pœna.

9. Qui domo ad aliquid designatum exierit, nihil aliud efficiat, nisi quid necessarium se offerat, quod, simul ac domum peruenerit, Superiori aperiat: quod etiam obseruent iter agentes, sub graui pœna.

10. Priore, aut Vicario foras egresso, qui domui præest, nec exire, nec exeundi veniam aliis, quàm Procuratori ad negotia expedienda, aut Prædicatori ad concionandum, & Confessariis ad infirmos audiendos egressuris dare poterit. At si necessitas vrgeat, vt ipse vel alius exeat, ex consilio & consensu trium Fratrum antiquiorum id fiat.

11. Prior

11. Prior nec exire, nec alteri exeundi veniam dare possit, ultra triginta Italica milliaria; &, cùm sic exierint, facultatem scriptam, & obsignatam secum ferant: quam, etiam non petitam, Priori, aut Præsidenti aliorum Conventuum, statim ac pervenerint, ostendant. Nullusque Chorista sine socio, nisi ex iusta admodum causa, & de expressa licentia Provincialis in scriptis, iter agere sinatur, binos enim Dominus Apostolos misit. Bini ergo exeuntes, individui procedant, semperque antiquior loco in itinere præsideat, nisi iusta de causa Superior cum propriis subditis aliud decreverit. Religiosi autem nostri Choristæ Superiores, vel subditi, intra vel extra civitatem, & oppida, nisi cùm verè iter faciunt, sub nullo pretextu, solis Fratribus Donatis associati procedant: quòd si necessitas aliqua id omninò requirat, omnium trium Discretorum per secreta suffragia accedente consensu, mitti poterunt, & tunc nullo pacto unus ab altero valeat separari.

12. Dent operam Fratres nostri, ut omnibus, cum quibus extra Claustra conversantur, bonum exemplum præbeant, & eos ad pietatem hortari, solari, ac Deo lucrari curent: quòd si quis contrà fecerit, ac in itinere graviter deliquerit, a viciniore Priore, vel Præside puniatur.

13. Nullus Frater intra urbes, oppidavè,

davè, nisi ob necessitatem, Superioris arbitrio declarandam, curru vehatur; in lecticis autem, vel sellis gestatoriis, intra civitates, & oppida, tam subditos, quàm Superiores vehi posse prohibemus, nisi de licentia Præpositi Generalis, vel Provincialis, vel Prioris cum consensu Discretorum, si absit Provincialis.

14. Universi Fratres pedites iter agant: si verò necessitas aliud postulet, Præpositus, Provincialis, Prior, aut Præsidens, expensis, collatisque circumstantiis, unusquisque (prout ei per Constitutiones conceditur) dispensabunt. Qui autem ex necessitate pedester ire nequiverit, veniam equitandi secum ferat, & juxta morem patriæ humiliter vehi curet. In lectica verò, nisi urgens necessitas aliud exigat, sine Præpositi, vel Provincialis, pro singulis vicibus, licentia, nemo, etiam Superior, iter agat. Neque Præpositus, neque Definitores Generales, neque Patres Provinciales, nisi necessitate compulsi, eo modo vehantur: tunc verò in reditu Definitorio Generali, vel Provinciali, respectivè, manifestare teneantur.

15. Ferant secum Fratres nostri, in alia loca euntes, litteras patentes, in quibus, cujus Cœnobii, &, si à Præposito ad aliam Provinciam mittuntur, cujus Provinciæ Conventuales sint, exprimatur; qua in re, ne aliquod

du-

dubium oriatur, declaramus, ex quo intimantur ejuſmodi litteræ cum expreſſione Conventualitatis, quemlibet Religioſum incipere eſſe Conventualem illius Cœnobii, quod ei aſſignatur, & deſinere eſſe Conventualem cujuslibet alterius. Nullus autem Religioſus in pluribus ſimul Monaſteriis Conventualis eſſe valeat; aut Conventualitate, etiam à Præpoſito, vel alio quolibet Superiore, privari poſſit, quin priùs ei alia aſſignetur, niſi ob culpam, propter quam mereatur voce privari, vel ſi ipſe petierit, vel in caſibus expreſſis in Conſtitutionibus.

16. Monemus autem eos, qui pedites incedent, ut ſemper curent eleëmoſynas mendicare; eos verò, qui ex neceſſitate equitabunt, ita ſe gerere, ut paupertatem, quam Deo voverunt, præ ſe ferant.

17. Nemo è Conventu, ſub prætextu Superiores ſuos adeundi, quavis juſta de cauſa egrediatur, ſine venia ejus, quem adire voluerit, ſub pœna pro culpæ modo ei imponenda. Qui autem à Præpoſito, vel (dum Congregatio noſtra Præpoſito caret) à Vicario Generali vocantur, niſi propter infirmitatem, vel periculum inevitabile detineantur, abſque ulla excuſatione venire teneantur, ſub pœna depoſitionis, ſi fuerint Superiores; ſi verò ſint ſubditi, ab eorum

immediatis Superioribus, & à Provinciali, sub eadem pœna, omnino mittantur, & nihilominùs voce activâ, & passivâ per sex menses priventur. Non prohibemus autem quempiam eisdem Præposito, & Vicario Generali justum impedimentum exponere: si tamen ab ipsis non admittatur; sub eadem pœna, quicumque vocatus, venire teneatur.

18. Religiosi nostri subditi, ab uno in alium Conventum discedentes, ea, quæ secum deferunt, Superiori domûs, à qua recedunt, & Conventus, ad quem Conventuales destinantur, ostendere teneantur.

CAPUT XIV.

De Vita communi, & regulari.

1. VT inter nos, more nascentis Ecclesiæ, sit cor unum, & anima una; res etiam externas, & actus oportet esse communes.

2. Ut autem omnibus pateat, quid sit vita communis; declaramus, communem vitam esse, cùm ex communibus officinis res necessariæ, Superioris concessu, singulis ad usum tribuuntur, nec privatim aliquis quidquam possidet, sed statim ac eo, quo utebatur, non indiget, in communes officinas refert.

3. Hanc ergo communis vitæ rationem.

nem universi, tam Prælati, quàm sub. diti, perfectè sequantur, non personarum, sed solius necessitatis modum attendentes.

4. Quia verò communis vitæ ratio Regulari vitæ, juxta nostrum Institutum, coniungi debet; præcipimus, ut nullus Prælatus extra ordinem negotiis, quamvis piis, ipsi etiam Prædicationi, adeò incumbat, ut non possit quotidianis actibus vitæ Regularis, majori saltem ex parte, interesse.

5. Denique, ut nec in sermone inter nos aliquid singulare sit, prohibemus Fratribus nostris, quemcumque Doctorum, seu Magistrorum, aut alterius cujusvis nominis gradum accipere, vel ob id ullà exceptione gaudere, aut ejusmodi nominibus appellari.

6. Soli, & omnes Sacerdotes vocentur Patres, qui usitato nomine Vestra Reverentia appellabuntur: reliqui autem Religiosi vocentur Fratres, qui Charitas vestra ex more dicantur: nullusque Frater alium quemvis, etiam Præpositum, Reverendissimi Patris, vel vestræ Paternitatis titulo appellet, sub pœna media; sed tam Pater Præpositus, quàm Definitores Generales, & Procurator Generalis, noster Pater, in tota Congregatione, sicut, & Provincialis in sua Provincia, & Prior in suo Conventu, vocentur. In communi verò Tabula officiorum, humilia quæque etiam Superioribus iniun-

gantur, ne quid, vel ad charitatem, vel ad humilitatem desideretur.

CAPUT XV.

De Ordine, ac Sedibus Fratrum.

1. ETsi primos accubitus non amare, ac in novissimo loco sedere, Christi consilium sit, quod per affectum quisque amplecti debet: externe tamen ad tuendum decorem domûs Dei, subsequens discrimen sedium, extra Capituli, & Definitorii tempora, observandum est.

2. Primo igitur totius Congregationis loco sedebit Præpositus, qui officio suo expleto, nullâ prærogativâ gaudebit, sed pro suæ professionis antiquitate sedebit inter alios.

3. Secundus locus erit Definitorum Generalium, juxta suarum electionum seriem: tertius erit Provincialis, seu Vicarii Provincialis canonicè electi in sua Provincia, quos quarto loco Procurator Generalis, & quinto Visitatores Generales hospites sequentur: mox Provinciales hospites: deinde Vicarii Provinciales non canonicè electi; posteà Priores, seu Vicarii canonicè electi in suo Conventu: exinde Visitatores Provinciales hospites, quos subsequentur Definitores Provinciales in propria provincia, pro suarum electionum serie:

&

& post ipsos Priores hospites, qui ibi fortè aderunt, pro suorum Conventuum antiquitate: mox Vicarii Conventûs non canonicè electi, vel Supprior, quem immediate sequentur Suppriores hospites eo ordine, quo de Prioribus dictum est: posteà Sacerdotes professi, juxta antiquitatem professionis: deinde Fratres Clerici professi, Sacris initiati, ita ut Diaconus Subdiaconum antecedat, & inter initiatos eisdem Sacris, antiquior professione sit loco prior: post hos Fratres Clerici, Sacris non insigniti, secundùm professionis antiquitatem; qui omnes si fuerint professione æquales, præcedat ætate provectior: posteà Novitii Clerici, inter quos, si quis fuerit Sacerdos, vel Sacris initiatus, respectivè cæteros Novitios præcedat: postmodum Fratres non Clerici, pro discrimine antiquitatis.

CAPUT XVI.

De honesta Fratrum Recreatione.

1. JUxta disciplinam sanctorum Patrum, qui laborem intermittere consueverunt, ut diutiùs laborarent, præcipimus, ut quotidie statim à prandio in opportunum aliquem locum Fratres omnes conveniant, & ibi per unam horam mutuâ charitate simul læti permaneant; ubi de rebus spiri-

tualibus, ac honestis loquantur, & ordinariè iis, quæ in communi dicuntur, attendant.

2. Per omne ieiuniorum nostrorum tempus à Regula præfixum Vespertina recreatio non fit; præterquam in studiorum Conventibus, iis diebus, quibus Conclusiones defenduntur. At Superior facilè det veniam, &, cùm expedire videbitur, præcipiat, festis præsertim diebus, ut Fratres, absoluto Vespertino officio, ante Completorium à labore aliquantum simul recreentur: eo verò tempore, quo ex Regula non ieiunatur, Fratres post cœnam vel collationem aliquantùm recreentur, ita tamen, ut recreatio ultra horam non extendatur, & statim post recreationem dicatur Completorium.

3. Novitii, cum ipsorum Magistro, vel alio, illius vices gerente, seorsum in locum recreationis convenient, nisi cùm Prior aliter decreverit.

4. Singulis annis quater, vel sexies, ut plurimùm, omnes Conventûs Fratres foras exire possint. Caveat autem Superior, ne Conventûs debitâ custodiâ destituatur.

5. Sæculares verò à nostris recreationibus absint, nisi necessitas inevitabilis aliud requirat.

6. Singulis sextis feriis per dimidiam saltem horam, tempore recreationis collatio spiritualis habeatur, in qua

Præ-

Prælatus materiam aliquam ſpiritualem, veluti de oratione, mortificatione, aliiſque ſimilibus, proponat; & omnes ſuo ordine, quod unicuique occurrerit, dicent.

CAPUT XVII.

De Suffragiis pro defunctis.

1. SInt Fratres noſtri ad pœnas animarum, quæ igne Purgatorio torquentur, leniendas, admodum miſericordes; ſtatimque, ac Frater aliquis obierit, Prior Provincialem, ipſe verò Provinciæ ſuæ Priores, ac Præpoſitum, Præpoſitus verò Congregationem confeſtim moneat, ut pro eo ſubjecta ſuffragia fiant.

2. Pro unoquoque Religioſo profeſſo, in eo Conventu ubi interierit, Officium ſepulturæ, & Officium integrum Defunctorum cum Veſperis, & Miſſa cantabitur: in aliis verò omnibus Conventibus ſuæ provinciæ canetur Miſſa, & Officium integrum recitabitur. Inſuper quilibet Sacerdos domûs, in qua deceſſit, tres Miſſas pro eo dicet; unam verò omnes alii Sacerdotes omnium Conventuum illius Provinciæ. Prætereà in aliis totius Congregationis Provinciis in quolibet Conventu duæ Miſſæ privatæ dicantur, & recitabitur unum No-

ctúrnum cum Laudibus : Fratres verò Choristæ, tam ejusdem Monasterii, quàm totius Provinciæ, unum integrum Officium Defunctorum; Fratres verò non Clerici ejusdem Provinciæ unum integrum Rosarium; reliqui autem totius Congregationis Sacerdotes, & Fratres tertiam partem Rosarii recitabunt. Pro Patre verò Præposito in tota Congregatione dupla suffragia fiant, & Officium Defunctorum ubique cantabitur; pro Patribus verò Definitoribus Generalibus, & Procuratore Generali, in tota Congregatione; pro Patribus Provincialibus in sua Provincia, & pro Prioribus in suo Conventu, præter illa, quæ pro cæteris Fratribus dicuntur, Missa una privata à Sacerdotibus singulis, unum Officium Defunctorum integrum à singulis Choristis, & Rosarium integrum à non Choristis recitentur. Cùm obierit aliquis Professus non Chorista, pro eodem, quæ pro cæteris Religiosis Professis, suffragia fiant. At pro Novitio quovis, sive Clerico, sive non Chorista, die obitûs fiant suffragia in eo loco, ubi decedit, æquè, ac pro quolibet Professo.

3. In quolibet Monasterio uniuscujusque Provinciæ Monialium nostrarum canetur Missa una Conventualis, & recitabitur unum Officium integrum Defunctorum pro quovis Fratre nostro, in ea Provincia obeunte;

Monialibus nostris Sacramentum pœnitentiæ ministratur, quilibet Sacerdos pro singulis Monialibus ejus urbis, aut oppidi Missam unam privatam faciat.

4. Simul, ac obitus Sanctissimi D. N. Papæ scietur, exequiarum solemnium Officium pro eo in Monasteriis omnibus Congregationis fiat.

5. Feriâ secundâ per integrum annum fiat Sacrum pro defunctis nostris, scilicet pro quo nulla eleëmosyna recipiatur; &, excepto Paschali tempore, Vesperæ Defunctorum post illius diei Vesperas recitentur, præterquam in Festis de præcepto, & quæ solemniter celebrantur in Congregatione: tunc enim recitabuntur infra hebdomadam aliquo die non impedito simili Festo, exceptis tribus anni temporibus, quibus officia ternaria recitantur.

6. Tribus prætereà anni temporibus, inter Octavam scilicet Epiphaniæ, & Purificationem, inter Octavam Resurrectionis, & Ascensionem, inter Octavam sancti Michaelis, & Festum omnium Sanctorum, fiat commemoratio

ratio pro defunctis; ita ut singulis illorum trium temporum recitetur triplex Officium integrum Defunctorum; & tres Missæ canantur.

7. Quæ quidem suffragia pro Fratrum nostrorum animabus, pro eorumdem Fratrum consanguineis, affinibus, amicis, pro iis, qui in nostris Monasteriis sepulti jacent, pro benefactoribus, & sæcularibus, qui Fraternitatis litteras habuerunt, exolvenda sunt; quæ statim, primis trium designatorum temporum diebus, omnino fiant.

8. Sit locus à sæcularium sepulchris separatus, ubi Fratres nostri sepeliantur: sit etiam liber, in quo defuncti Fratres scribantur, ubi is, cui rem Superior commiserit, annotet nationes, & nomina, subiiciatque compendium virtutum eorum, qui observantiâ claruerunt, ut posteri ad virtutis æmulationem excitentur.

9. Nulli sæcularium Capella, vel peculiare sepulchrum, sine Præpositi, vel Provincialis venia detur: quòd si Præpositus, vel Provincialis consuli nequeat, id fiat de consensu Conventûs. In communi verò sepultura de consensu Conventûs poterunt sæculares sepeliri.

10. At pauperes, aliàs sepulturâ carituri, in nostris Ecclesiis sepeliri poterunt. De quarta verò funerali nulla cum Parochis controversia sit,

sed

ſed libenter eis Fratres noſtri, pacis amore, cedant.

CAPVT XVIII.

De Charitate erga infirmos.

1. CHaritas, ad conſolandos ſolatio deſtitutos, propenſa eſt. Quare navent operam Fratres noſtri, ut & conſilio, & obſequio ægros conſolentur, & Superiores de Spirituali, corporalique ægrotantium remedio ſingularem curam geran.

2. Ut autem, expurgatâ conſcientiâ, morbi labor ſit fructuoſior; ſtatuimus, ut ſtatim, ac Frater aliquis in morbum inciderit, confiteatur, & ſacram Euchariſtiam recipiat: deinde, ubi ex morbo non periculoſo, ſed longo decumbit, per hebdomadas ſingulas ſemel ſaltem confiteatur, & ſacram Euchariſtiam recipiat: imminenti verò periculo, Euchariſtiam (quantum pro Sacramenti reverentia licebit) frequenter ſumat.

3. Prior Fratribus ægris Fratrem aliquem, ut eis miniſtret, probum, ſedulum, moribuſque ſuavem deſignabit; qui eos quaſi nutrix fovere, ſolarique poſſit, & tam ipſe Prior, quàm Procurator omnia à Medicis præſcripta diligenter providebunt; quorum incuriâ ſi quis ægrotus periclitetur: ſeverè, pro culpæ modo, puniantur.

4. In

4. In eo Monasterio, ubi Frater aliquis in morbum inciderit, maneat, quousque convalescat, nisi Præpositus, vel Provincialis aliud præceperit. In ædibus verò sæcularium, etiam consanguineorum, neque curentur ægri Fratres, neque convalescant, nisi juxta consilium Medicorum remedium aliquod sumi oporteat, quod intra Conventum sumi omnino non possit: quo in casu solummodò Frater aliquis infirmus, de licentia Provincialis, de consensu Prioris, & Discretorum, vèl de licentia Præpositi Generalis, poterit extra Claustrum mitti.

5. Dent operam Superiores, ut in quovis Conventu valetudinarium construatur, ubi sint Fratres ægroti, & admodum debiles, extra quod Fratres decumbentes ultra triduum manere non permittant, sed illuc deferri præcipiant: quotidieque ibi (si commodè fieri potest) ægroti omnes Sacrum audiant.

6. Prior ipse quotidie Fratres decumbentes paternis visceribus visitet; aut impeditus, alteri id officium committat, & animadvertat, quâ charitate illis inserviatur: singularem quoque curam gerat de victu eorum; qui ut convalescant, in Refectoriolo carnibus vescantur.

7. Ægri verò Fratres nostri, si quid èis (ut solet, ad experimentum patientiæ; ac meriti augmentum) defuerit,

me.

meminerint, se Christi paupertatem sponte, quæsisse; ac nolint sibi, quasi divitibus, ministrari.

CAPUT XIX.

De Hospitalitate.

1. HOspitalitas meritò colenda est ab iis, qui charitatem profitentur; charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Universi ergò Conventuum nostrorum Superiores, cùm expedire in Domino censuerint, hospitales sint erga omnes, sed potissimum erga Religiosos alios inopes: à quibus, si noti non sint, Ianitor litteras patentes prudenter petat, & ad Superiorem deferat:

2. Erga Fratres verò nostros præsertim hospitalitatem exerceant, & apertâ charitatis significatione, eis, sine ulla exceptione, necessaria provideant, sub pœna gravi: quâ etiam pœnâ puniantur, qui, cùm ad Conventum pervenire tempestivè possunt, in eo loco, ubi Conventum habemus, apud alios, etiam Religiosos, vescuntur, vel hospitantur, vel pernoctant; quæ omnia eis prohibemus: iis autem, postquam accesserint ad Conventum, ut a labore itineris recreentur, licebit per duos dies communibus actibus non interesse.

3. Fratres nostri hospites, quamdiu in

consensu, ob gravem necessitatem instantem, per dies aliquot Fratrum missiones fieri poterunt ad loca ultra triginta Italica milliaria distantia, quæ verbi Dei necessitate laborant; sed, ut ad tantum onus Concionatores se præparare valeant, Superior tempus, quod in Domino necessarium arbitrabitur, eis ad studium, & orationem ab aliis actibus immune concedat.

4. Superiores autem omnes Fratribus nostris concionaturis concedere poterunt, ut per triduum ante concionis diem, actibus Chori non intersint: orationi tamen mentali communi intererunt.

5. Nullus è nostris Concionatoribus, seu Confessariis, ob eas functiones, aut occasione inde acceptâ, eleemosynam petat, ne actiones, quæ omni labe carere debent, in aliquem, nisi solius pietatis quæstum, vertantur.

6. Priusquam Concionatores eo fungantur officio, in Scriptura sacra, Sanctorum lectione sint idoneè versati, qui per duos saltem annos Theologiæ Scholasticæ, vel Sacris Canonibus operam dederint: semperque solida, & utilia populo prædicabunt; aliàs, si a Superiore moniti non resipuerint, à Præposito, vel Provinciali eis prædicatio prohibeatur.

7. Ut autem idoneos verbi Dei ministros Religio nostra habere possit, Præpositus, & Provincialis nemini
ad

ad concionandum, aut Confessiones Fratrum, vel sæcularium audiendas, veniam det, priusquam à Priore, primoque Discreto, & alio examinatore, quem Conventus elegerit, coram omnibus Capitularibus rigidè examinetur: quòd si is à Capitulo priùs quoad mores, & posteà ab Examinatoribus quoad scientiam, per secreta suffragia approbetur; Provincialis de re certior fiat, qui posteà, quid fieri oporteat, deliberabit. Idemque servatâ proportione fiat, non modò quoties aliquis Frater primùm concionaturus, vel sacras Confessiones auditurus est, sed etiam quoties Ordine sacro est initiandus. Nemo Confessiones mulierum audiat, qui triginta annos non expleverit, nisi Provincialis cum aliquo justis de causis dispensaverit. * Confessiones verò Monialium, nisi 40. annos egerit, nullus audiat.

8. Qui pro venia Sacramentum pœnitentiæ ministrandi Ordinarios adierit; facultatem non tantùm à Præposito, vel Provinciali, sed à suo etiam Priore subscriptam ferat.

9. Quò autem Fratres nostri tanti Sacramenti fiant idonei, ac fideles dispensatores, de ratione hoc Sacramentum rectè ministrandi, uno die per hebdomadas singulas, horâ unâ designatâ, mutuò conferant in omnibus Conventibus, etiam Novitiatûs, & Studiorum, ubi erunt quatuor Sacerdotes Professi.

CA-

CAPUT XXI.

De Capitulo Conventus, & quotidianæ correptionis charitate.

1. INter Charitatis opera primum locum obtinent, quæ comite prudentiâ, non jam ad animos avertendos à culpis gravioribus, sed ad promovendos in altiorem sanctitatem, frequentari solent: cuiusmodi sunt illæ correptiones, quæ ex more Sanctorum in Claustris exercentur.

2. Proptereà ordinamus, ut in singulis nostrorum Fratrum Conventibus Capitulum per singulas hebdomadas, ut in Regula sancitum est, semel saltem à Priore, Vicario, vel alio ex ipsorum expressa commissione fiat, in quo de culpis ordinariis, ad Prælati jurisdictionem spectantibus, ex charitatis affectu Fratres corripiantur: si enim alia extraordinaria culpa detegeretur, maturiore consilio remedium à Superiore providendum esset.

3. Capitulum manè fiat, quâ horâ communis oratio fieri deberet: exhortatio verò ultra dimidiam horam, culparumque correptio ultra dimidiam aliam, paulòve ampliùs non durabit.

4. De unoquoque Fratre se ad correptionem prosternente, Zelator, è Patribus Capitularibus per hebdomadas singulas designandus, sincerè, ac sine

ſine ulla exaggeratione culpas proferat, & ſtatim cæteri Patres juſſi à Superiore.

5. Quicumque alium admonuerit, culpas omnes ad illum attinentes uno contextu proferat; ille verò, qui corripitur, monitionem humiliter ferat, dicatque, mea culpa, & ſe proſternet, donec dato ſigno caput elevet: dato autem ſigno, & elevato capite, correptionem genuflexus, & tacitus audiat; nec de ſe ipſo defendendo cogitet, memor Chriſti, qui accuſatus ſiluit: ſi verò de afferenda excuſatione à Superiore moneatur, parcè, ac velut coactus illam proferat; qui ſecùs excuſationem attulerit, gravem pœnam ſuſtinebit.

6. Si quis à nemine admoneatur, & ſe ipſum accuſare velit, ſe proſternet; & ſigno dato caput elevet, ac genuflexus culpam aperiat, correptionemque libenter audiat.

7. Nullus in Capitulo, etiam cum Superiore, niſi juſſus, vel petitâ, impetratâque veniâ, loquatur, ſub pœna gravi: ſi quis verò, injuncto ei ſilentio, non ſtatim obedierit, è Capitulo expellatur, pœnamque gravem ſuſtineat: ea verò, quæ in Capitulo tractantur, quando, & quomodo in Capitulo publico, ſecretò ſervanda eſſe Prior dixerit, ſi aliquis Capitularis revelaverit, per tres menſes voce privabitur; & ſi iterùm idem fecerit, per alios tres menſes loco carebit.


8. Quod

8. Quod ad actuum Capituli seriem, modumque spectat, ceremoniæ in Ordinario præscriptæ servabuntur: finitâ verò culparum correptione, Superior interroget Patres, an ad rectam domûs gubernationem aliquid fieri expediat: supplex etiam rogabit, ut, si quas in eo culpas animadvertant, eum seorsum in Cella moneant, vel Patrem aliquem de iis certiorem faciant, qui postmodum eum admonebit.

9. Solemnissimis anni Festis, vel eorum Vigiliis, de culparum correptione non agatur; sed Superior, vel alius, cui ab eo iniungetur, de Festo sermonem habeat: in Epiphania tamen Domini, & in Exaltatione sanctæ Crucis, post exhortationem, Votorum renovatio, sponsiones autem, & collationes in Exaltatione sanctæ Crucis post Vesperas fiant, ad cursum jejuniorum ferventer incipiendum.

10. Singulis præterea diebus (præter Festa valdè solemnia, & nonnullas insignium solemnitatum Vigilias, & quatriduum ante Pascha, pridièque diei Capituli Conventûs) Prior, aut Vicarius, & cùm illi absunt, Supprior, vel de expressa Prioris, vel Vicarii venia alius, surgente Zelatore, ac postquam ei fuerit jussum, leves culpas sincerè proferente, Fratres ex charitate corripiat: Fratres verò singuli statim ac à Zelatore nominantur, & alii se ipsos accusare volentes, dicentes Mea cul-

culpa, se prosternant, & humiliter admonitionem audiant, & pœnitentiam impositam impleant: illos verò (ne quotidiana correptio molesta fiat) Superior infra octavam circiter horæ partem expediat. Hortamur verò tam Prælatos quàm subditos, ut mortificationes ordinarias, ac extraordinarias, in Refectoriis nostris ab initio Religionis consuetas, curent frequenter exercere; & præsertim Prælati, ne consuetudo tam sancta tepescat, invigilent, & in hoc, sicut in aliis, se ipsos cæteris exemplum præbeant. Hortamur etiam omnes nostrorum Conventuum Superiores, ut laudabilem usum in Refectoriis, & Capitulis, etiam pro levibus culpis, infligendi disciplinas, curent observari; ipsosque subditos, ut sponte sibi ibidem eas inferri, ut moris est, petant. Quæ verò ab aliquo franguntur, suspensa collo, ab eodem in Refectorio ferantur.



PARS SECUNDA CONSTITUTIONUM

DE

Diversa Institutione Conventuum, qui ad nostram Congregationem pertinent.

CAPUT PRIMUM.

De Fundatione, ac diversitate Conventuum; & numero Fratrum.

1. QUamquam Instituti nostri ratio Monasteriis omnibus nostris debet esse communis: fieri tamen nequit, ut inter nos ipsos non sint aliqua etiam discrimina, & nostro, & proximorum bono consentanea.

2. Statuimus ergo, Conventus nostros in classes quinque distingui debere: ita ut alii destinentur Novitiorum educationi, alii in eremo Professorum profectui, alii studiis litterarum, alii, & Professorum profectui, & proximorum quoque saluti, alii instruendis ministris Evangelii ad conversionem infidelium.

3. In quibus omnibus, præterquam in eremitico, post duos à fundatione annos, nec pauciores quindecim, nec plures quadraginta

draginta morabuntur; Professis, & Novitiis, Choristis, & non Choristis, utroque numero inclusis.

4. Fratres autem nostri, qui vel ad studia, vel ad proximorum salutem ad alium Conventum migraverint, ne iis exercitiis ab interna cum Deo unione alieni fiant, ad eremum interdum, de Præpositi, seu Provincialis venia, se recipere possint, ut spiritus vires resumant.

5. Quia verò cùm præmaturè ad condenda Monasteria acceditur, incommoditate loci, ad communes actus nostros nondum aptati, observantia tepescit; Fratres nostri in Conventum aliquem non migrent, donec Ecclesia, domusque Instituto nostro consentanea extructa sit; neque aliter admittatur, nisi in aliquo eventu, Præposito, ac Definitoribus Generalibus, vel Provinciali, & Definitoribus illius Provinciæ, ubi agitur de fundatione Conventûs, ad Congregationis bonum visum fuerit aliter expedire. In omnibus autem Cœnobiis, etiam noviter erectis, ubi sex ad minus fuerint Fratres nostri Choristæ, & Chorum, vel Oratorium aptum habuerint, Divinum Officium secundùm nostras Constitutiones persolvere teneantur.

6. Prohibemus eorum Conventuum receptionem, quibus animarum cura annexa est: idemque decernimus de iis Ecclesiis, ubi, etsi Religiosorum

esse possint, à sæculari Parocho cura geritur animarum. At in terris infidelium, si desint alii, qui animarum curam gerant, à Fratribus nostris poterit exerceri.

7. Fabricæ autem tam Ecclesiarum, quàm Conventuum nostrorum, paupertatem, & humilitatem præ se ferant; quamobrem, juxta normam inferiùs, & in Instructione traditam, ædificentur.

8. Nullus locus, ad nostra Monasteria construenda, recipi possit, quin priùs à Reverendo Patre nostro Præposito Generali, vel à Provinciali illius Provinciæ, unà cum duobus aliis Religiosis, aut uno ad minus, pro hoc munere à Capitulo Provinciali deputandis, vel si Provincialis aliquâ justâ causâ sit impeditus, saltem à duobus præfatis Religiosis visitetur, inspiciatur, & accuratè consideretur: ac denique à Definitorio Provinciali, si commodè fieri possit; sin minùs, ab ipso Provinciali, & uno ex duobus prædictis approbetur.

9. Curent Provinciales, ut Conventus nostri ædificentur in locis aliquantulùm remotis, vel in ipsis suburbiis, aut denique ubi quietiùs Fratres nostri à nimio sæcularium concursu, & strepitu separati vivere valeant. Definitorium autem Provinciale quodlibet in sua Provincia provideat, duo esse delineamenta, unum pro majoribus, alterum pro minoribus Monasteriis,

riis, approbata, & subscripta à Definitorio Generali, & juxta ea omnes illius Provinciæ fabricæ construantur: si verò alicui loco congruè adaptari non possint, Definitorium Provinciale aliud delineamentum assignet, quod (servatis mensuris, & numero Cellarum, & officinarum) in reliquis sit prædictis delineamentis, quantùm fieri poterit, conforme: si quæ verò necessaria dispensatio videatur, circa numerum officinarum, à Definitorio Generali petatur. Ad Definitorium autem Provinciale spectabit declarare, quæ Monasteria secundùm majorem, & quæ secundùm minorem formam ædificanda sint; sine cujus etiam licentia in scriptis nullus possit prædicta delineamenta mutare, vel aliquid in eis, quamvis parvum addere, aut minuere. Denique fabricas jam inchoatas secundùm formam præscriptam nullus Superior absque licentia ejusdem Definitorii Provincialis immutare, addere, vel minuere possit.

10. Ordinamus igitur, ut nostræ Ecclesiæ pro majoribus Conventibus non excedant latitudinem quadraginta palmorum, juxta mensuram palmi sub finem Constitutionum designatam, & longitudo sit ad proportionem, pro minoribus verò Conventibus non sint latiores palmis triginta tribus, & longæ sint ad proportionem. Chorus in majoribus non sit longior

palmis quadraginta , & in minoribus triginta tribus. Sacristiæ longitudo in majoribus sit ad summum palmorum quadragintaquinque , & in minoribus trigintaquinque . Altaria in Ecclesia non sint plura septem , nec pauciora tribus , incluso Altari majori In Ecclesia autem , aut Capellis non fiant testudines , vulgò cuppulæ ; ipsæque Capellæ non construantur nimiùm sumptuosæ , nec auro ; vel stucco earum cælum exornetur , nec ex marmore , aut mixtis lâpidibus parietes vestiantur , sed nitorem potiùs , quàm superfluam , & pretiosam pulchritudinem præ se ferant : pavimentum verò , ornamenta Altaris , & pediola , vulgò Ballustra , poterunt ex marmore construi , in illis præcipuè locis , ubi marmor non multi æstimatur. Capitulum , quod etiam pro Oratorio inserviet , in majoribus non excedat longitudinem quadraginta palmorum , & pro minoribus trigintaquinque. Refectorii longitudo in majoribus ultra sexagintasex , & in minoribus ultra quinquaginta palmos non extendatur , incluso Refectoriolo infirmorum : ipsa verò Refectoriola infirmorum construantur ita , ut infirmi ibi vescentes videantur a Superiore , & exhortationes , correptionem culparum , & lectionem possint audire. Cellulæ in majoribus non sint plures quadragintaquinque , & quinque , vel septem pro infirmis ;

&

&in minoribus non ſint plures vigintiquinque, & quinque pro infirmis Cellulæ pro benevalentibus non excedant in quadrum tredecim palmos, & pro infirmis ſedecim. Bibliotheca regulariter non ſit longior palmis ſexaginta, & pro minoribus quadraginta. Andrones ultra decem pro majoribus, & pro minoribus ultra novem palmos in latum non extendantur. Clauſtrum majus, ſive interius, habeat aream non ampliorem palmis octuagintaſex: Clauſtrum verò exterius, quod ſcilicet eſt ad ingreſſum Monaſterii, aream continebit, non excedentem palmos vigintiſeptem, vel fiat dimidium Clauſtrum, vulgo Loggia. Culina in majoribns non excedat longitudinem trigintaſex palmorum, & in minoribus vigintiquinque. Scala ultra ſex palmos cum dimidio non extendatur. Refectorii altitudo non excedat palmos vigintiquatuor. Andronum altitudo non excedat palmos tredecim. Altitudo Cellarum non extendatur ultra palmos tredecim. Oratorii, aliàs Capituli altitudo, Bibliothecæ, cubiculi pro recreatione, correſpondeat delineamento à Definitorio approbato: Campanilia ſint humilia, paupertati congruentia, judicio Definitorii Provincialis. Ordinamus etiam, ut in noſtris Conventibus, ſi commodè fieri poterit, fiant duæ, vel tres Cellulæ, aptæ ad recipiendos hoſ-

pites Religiosos. Oratoria autem sæcularium in nostris Conventibus non exstruantur, nisi de licentia Definitorii Generalis, vel Definitorii Provincialis.

CAPUT II.

De Templorum ornatu, & sacris vestibus.

1. FRatres nostros hortamur in Domino, ut non tam pretiosa, quàm mediocria, ad Ecclesias parandas, requirant, & munditiæ curam exactissimam gerant.

2. Calices, Patenas, Pyxides, Vas olei infirmorum, Lampades, Thuribula, Thecas Reliquiarum ex argento, & (si donentur) ex auro Fratres nostri habere poterunt. Cætera, vel aurea, vel argentea non quærantur; & etiamsi donentur, nec retinere, nec eis uti possint: sed, ad permutanda pro aliis rebus Sacristiæ, & ecclesiæ necessariis, poterunt accipere. Declaramus autem, in hac Constitutione non comprehendi Ecclesiam nostram Sanctæ Mariæ de Victoria Romæ.

3. Apparatus tam Ministrorum, quàm Altarium poterunt ex tela undulata, vulgò Ciambellotto, vel etiam ex simplici serico fieri. Ornamenta autem ex auro, vel argento contexta, sive intertextum, vulgò Broccato, ac plumarium

marium opus ex auro, & argento, vulgò Ricamato, prohibemus: nec Fratres noſtri, tam ſubditi, quàm prælati, ea petere, retinere, ſeu iis uti poſſint in noſtris Domibus & Eccleſiis: ex quibus telis, ſi ſacer aliquis apparatus donetur, curent Prælati, donatore non ægrè ferente, alio minùs pretioſo illum permutare, ſeu vendere; ea verò, quæ habentur, retineri poſſint. Declaramus autem non prohiberi, quod vulgò dicitur Frangie, & Dentelle ex auro & argento; & excluditur, ut ſuprà, Eccleſia Sanctæ Mariæ de Victoria Romæ.

4. Albæ, & amictus celebrantium, Altariumque mappæ mundæ admodum ſint; byſſinæ verò, & ſimiles telæ tenuiſſimæ, puta, quæ vulgò dicuntur Cambrai, & aliæ ſimiles, à noſtris Fratribus non emantur: ſi verò donentur, recipi poterunt; iis tamen Fratres noſtri non utantur, niſi ſolemnioribus anni diebus, vel cùm Prælatus aliquis externus, ſeu Vir illuſtris Eccleſiaſticus, ad Sacrum faciendum apud nos induetur.

5. Prohibemus etiam, quòd parietes noſtrarum Eccleſiarum, & Clauſtri exornentur aulæis; & ordinamus, quòd nullum ex noſtris Monaſteriis habere, & retinere ullo modo poſſit ornamenta propria parietum: declaramus autem non prohiberi, quòd poſſit apponi baldachinum, nec uſum

Ecclesiæ, ornandi monumentum Feriâ quintâ in Cœna Domini. Permittimus etiam sexies in anno Sacellum, in quo, & quando Venerabile Sacramentum exponitur, aulæis exornari. Excipimus etiam, ut suprà, Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Victoria Romæ.

CAPUT III.

De Conventu, ubi Novitii sunt educandi.

1. CONventum novis Fratribus educandis dedicatum, ab iis omnibus, quæ tentationis occasiones pariunt, oportet esse remotum.

2. Propterea Conventus Novitiorum ab oppidis aliquantùm separati ædificentur, nisi alicubi Definitorium Generale, seu Provinciale, aliter expedire judicaverit; & in eo, nec Præpositus Congregationis, neque Provinciales, neque Definitores Generales, neque Procurator Generalis habitabunt, neque studiorum actus exercebuntur, neque hospites frequenter admittentur.

3. Curent Præpositus, & Provincialis, ut Prior ejus Conventûs sit ex iis, qui in nostra Congregatione fuerint Magistri Novitiorum, qui in Capitulo Provinciali primus è prioribus erectur; & de bona Fratrum educatione ita sollicitus, ut eos interdum in

in communi exhortetur, & aliquando communibus eorum actibus intersit, privatimque singulos visitet, & soletur.

4. Magister Novitiorum singulari sanctitate, ac prudentiâ præditus, qui sit Supprior Monasterii Novitiatûs, à Definitorio Provinciali eligatur, cujus officium usque ad Capitulum sequens durabit. Si Novitiorum numerus magnus sit habeat Magister Socium, moribus ei similem, qui eum diligenter, ac fideliter adjuvet, qui ab eodem Definitorio Provinciali eligetur.

5. Quia verò Magistrum decet sic à Novitiis honorari, ut nihil mali de illo suspicentur; si aliquid minùs perfectum agat, Prior secretò eum admoneat: nunquam verò illum coram Novitiis publicè corripiat, sed semper ejus auctoritatem, & honorem tueri, & augere curet, ut Novitiorum bonum spirituale promoveat.

6. Nihil prætereà erga Novitios disponat sine scitu Magistri, cum quo amanter admodum agere debet.

7 Ut autem Novitiatum ab omni periculo immunem servet, si forte Novitius aliquis ob culpas, quæ sine infamiæ nota in Capitulo aperiri non possent, expelli debeat; Prior cum Magistro, & ejus Socio de re hac prudenter agat, ac ex communi trium sententia, non expresso Novitii nomine, Provinciali scribat, ac de illius consensu Novitius xpellatur.

8. Patres, ac Fratres Professi, qui in hoc Monasterio moraturi sunt, singulari virtutum exemplo, & boni communis zelo ita præstent, ut Novitios ad æmulationem provocare possint. Si autem oportuerit extra hujusmodi Conventum Novitios educari, Capitulum Provinciale veniam dabit, Definitoriumque Provinciale Magistrum præponet, qui eos in loco separato, clausoque custodiat.

9. Si Magister Novitiorum obierit, vel amotus fuerit; Provincialis alium idoneum, re valdè prudenter expensâ, statim designabit, arbitrio ipsius amovendum, usque ad primum Definitorium Provinciale, in quo fiet electio Magistri Novitiorum. Quòd si experientiâ constiterit, aliquem hujusmodi officio esse insigniter idoneum, ad idem opus facilè resumatur.

CAPUT IV.

De Fratrum Donatorum receptione, & educatione.

1. DOnati Fratres, ex Præpositi, vel Provincialis venia, & Conventùs recepturi consensu, admitti poterunt, facto, per aliquot dies, vitæ, ac morum examine; & antequam recipiantur ad habitum, domi maneant in habitu sæculari per duos men es ad probationem,

2. Ii

2. Ii, ut admittantur, firmâ valetudine, viribus, & bono aſpectu præditi ſint: nec recipiantur plures iis, qui ad inſerviendum Congregationi neceſſarii creduntur; & antequam recipiantur, informentur de his Conſtitutionibus, & in vulgari ſermone eis legantur, tam in receptione ad habitum, quàm ante profeſſionem.

3. Si Conventus, ubi Novitii educantur, eos receperit; Prior illos ad Novitiorum exercitia convenire jubeat, tempuſque opportunum aſſignet; curet etiam, ut per menſes aliquot abire foras non ſinantur, quoadufque aliquantum in Congregationis diſciplina proficiant: ubi verò Novitii non educantur, Provincialis eis Magiſtrum præponat, qui eos erudiat.

4. Sexto, & duodecimo menſe poſt ingreſſum, Capitulo Conventûs proponantur, beneque explorentur mores eorum, quos oportet devotos, ſimplices, fideles, & laboris patientes eſſe, cùm ad laborem Vocati ſint: quem ſi ferre detrectent, ſe Profeſſione indignos oſtendunt.

5. Donati Fratres erunt Novitii per duos annos continuos, in quorum ſecundo ter Capitulo Conventûs proponantur, & approbentur, vel reprobentur, videlicet quarto, octavo, & decimo menſe ſecundi anni: ultima autem approbatio eorum fieri debet cum duabus è tribus ſuffragiorum

par-

partibus; & si post ultimam hanc approbationem esset iterùm proponendus aliquis Frater Donatus, in Casibus à Constitutione positis, requirantur etiam ad ejus approbationem duæ è tribus suffragiorum partes; ad alias autem approbationes semper requiratur major pars suffragiorum, præter primam, quæ fit sexto mense post ingressum, ad quam sufficient suffragia æqualia.

6. Qui digni fuerint, solemnem Professionem, expleto secundo anno, emittant, sub eadem forma verborum, quâ Fratres Choristæ utuntur, & quartum votum adjungant in hanc formam: Insuper promitto, me nunquam prætensurum aliquam mutationem habitûs, vel ascensum ad gradum aliquem altiorem eo, ad quem à Deo vocatus sum.

7. Quòd si, expleto secundo anno, indigni Professione solemni judicentur, vel etiam si digni aliàs judicentur, ipsi tamen Professionem solemnem emittere, vel quartum votum adjungere nolint, statim expellantur, neque cum voto aliquo simplici inter nos remanere permittantur.

8. Fratribus Donatis Professis designetur Sacerdos à Provinciali, vel Priore, qui pro eorum Confessionibus audiendis sit unus ex assignatis juxta nostras Constitutiones, quibus in hebdomada faciat exhortationem, eosque erudiat.

CAPUT V.

De Novitiorum examine receptioni præmittendo.

1. CAvendum est, ne aliquis lupus, ovem repræsentans, Congregationi nostræ grave damnum afferat, propter quod præcipimus, ut non modò, qui nocere posse, verùm & qui non posse prodesse Instituto nostro videbitur, non admittatur. Quapropter habitu nostro, sive pro Choristis, sive pro Donatis, indui prohibemus quemcumque, qui habitu alterius Religionis indutus Novitius fuerit; Eremitam, Monachorum veste usum, membro aliquo, aut ejus usu carentem; capite nimiùm debilem; morbo alio quolibet, communes Congregationis labores non ferente, laborantem; magnâ aliquâ deformitate notatum; illum, cujus parentes aliquâ notantur infamiâ, vel paupertate ita oppressi sint, ut probabiliter timeatur, quòd absque illius auxilio vivere non possint: in quibus defectibus, justa ex causa bonum nostræ Congregationis concernente, poterit Definitorium Generale, & Capitulum Provinciale quodcumque, dum celebratur, dispensare.

2. Prohibemus insuper habitu nostro indui, vel profiteri in nostra Congregatione quemcumque, qui aliquando

quando hæreticus, ſchiſmaticus, Judæus, ſeu Infidelis fuerit, & ab illis uſque ad tertium gradum incluſivè deſcendentem; hæreſis, ſchiſmatis, aut cujuſvis infidelitatis ſuſpicione laborantem, illegitimum, irregularitate, in qua difficilè diſpenſatur, irretitum; alterius Religionis profeſſum; conjugatum; aliquâ infirmitate incurabili, & habituali laborantem; criminoſum, vel de aliquo delicto inquiſitum, ſeu ſuſpectum; rationibus reddendis obnoxium; æreque alieno, cui ſolvendo non ſit, gravatum: in quibus defectibus, *habitâ priùs à Sede Apoſtolica diſpenſatione, in caſibus ipſi Sacræ Sedi reſervatis, ſolùm Definitorium Generale, & Capitulum Provinciale quodcumque, dum celebratur, poterit diſpenſare.

3. Sed ſi quis aliquem defectum, ex proximè enumeratis in §. ſecundo, celaverit; ſtatim, ac ſcietur, expellatur, etiamſi Profeſſionem emiſerit: Congregationis quippe animus eſt, eos, qui prædictos defectus patiuntur, & cèlant, ad Profeſſionem non recipere. Item prohibemus indui habitu noſtro, vel profiteri in noſtra Congregatione ſervum, morbo contagioſo, vel caduco laborantem, mente captum, vel per intervalla capi ſolitum; declarantes intentionem Religionis eſſe, hujuſmodi ad Profeſſionem nullo modo admittere. Qua de re, quemadmodum

modum, & de non ambiendi voto, & de non habendo vocem in Capitulo usque ad Sacerdotium, & usque ad triennium à Professione expletum, ingressuri, & professuri moneantur; & simul noverint, ratione temporis inter nos tacitam Professionem non induci: de quo etiam ingressuri moneantur.

4. Præterea de quibuslibet induendis periculum fiat, an recto animo, solius nimirum suæ salutis desiderio, se Congregationi offerre velint.

5. At de iis, qui Choro assignandi sunt, fiat præterea periculum, an Latinam linguam ita didicerint, ut mox ad alias scientias transire possint: secùs non recipiantur, nisi eorum perspicax ingenium, vel virtus dispensationem mereatur: quæ à Proposito, vel Provinciali concedi possit, petente hoc Capitulo Conventûs, ubi aliquis agit de ingressu in nostram Congregationem.

6. Expendant Examinatores ingenii vim, quod oportet esse docile, ac rationi cedere: & voluntatem explorent, quàm oportet mitem, ac obedire paratam, & veræ virtutis cupidam esse; &, si quis nimiùm sententiæ tenax, aut è contrario inconstans, aut melancholicus, aliove habitu, seu consuetudine ad malum ita inclinatus videatur, ut exiguam emendationis spem moveat, non admittatur. Corporis pro-

por.

portionem intueantur, quam decet honestam esse, nullamque deformitatem præ se ferre; & habitudinem, vulgò complexionem, quam oportet esse validam, ad Congregationis labores ferendos

7. Ætatem attendant: Choro enim assignandi, nisi annum decimum octavum egerint, & quadragesimum non excesserint, non recipiantur, nisi justa de causa Præpositus, vel Provincialis dispensaverit. Statuimus autem, ut cum iis, qui decimum quintum annum non expleverint, solum Definitorium Provinciale dispensare possit. * Donati verò, nisi vigesimum primum annum egerint, & trigesimumquartum non excesserint, non recipiantur.

8. Cùm ergo quis indui optarit, ac petierit; Prior illum examinabit, & vocationis, an à Deo sit, modum expendet. Deinde, si eum idoneum invenerit, uni ex Patribus injunget, ut de eo periculum idem faciat. Nullus autem habitu nostro induatur, nisi priùs à Provinciali videatur, examinetur, & approbetur: at poterit Provincialis (raró tamen) id alteri committere. Deinde, antequam introducatur in Conventum, examinetur quoad scientiam, valetudinem, & alia, quæ ante experimentum, quod domi posteà fieri debet, sciri possunt. Informationes verò, juxta Constitutiones Apostolicas, & nostras, fiant; & tam persona, quàm

quàm informatio ipſa Monaſterii Novitiatûs Capitulo proponatur; & , ſi Patribus placeat, approbetur. Quòd ſi ab alio Conventu aliquis induendus mittatur, idem examen, informatio, & approbatio informationis, & perſonæ ibi fiat, de quibus Monaſterii Novitiatûs Patres fiant certiores, & aliter non mittatur.

9. Poſtmodum inducatur in Conventum, ubi Cella ei aſſignetur, & per dies aliquot verſetur intra Clauſtrum; actuſque Congregationis præſens conſideret, & ipſius etiam virtus experimentis probetur.

10. Quibus abſolutis, iterùm Capitulo proponatur: ſi autem approbetur per ſecreta ſuffragia, de Præpoſiti, vel Provincialis venia induatur. Novitiorum verò veſtes, libri, & quidquid ad ipſos pertinet, etiam pecuniæ, ſepoſitæ ſerventur, uſque ad Profeſſionis tempus, ita ut nullus de illis diſpenſare poſſit, exceptis illis, quas titulo eleëmoſynæ, vel pro habitu, Monaſterio ante receptionem ad habitum donarunt, & libro Novitiorum, annotato anno, menſe, dieque adſcribatur.

11. Hunc ordinem præſcriptum erga omnes induendos Prior ſemper obſervabit; quòd ſi ex prolixitate tot experimentorum detrimenti aliquid oriri aliquando videatur; examinatorum fide, Conventûs approbatione, cæteris prætermiſſis, aliquem interdum induere

re poterit. Poterit quoque informatio fieri, postquam aliquis in Conventum ad probationem ingressus est; vel etiam postquam in Conventu in habitu sæculari probatus, est, si ante id tempus fieri sine detrimento non possit.

12. Novitius semel à nobis expulsus, nunquam in posterum recipiatur, nisi apertè constiterit, causas expulsionis omnes cessasse. Qui verò Novitii à Capitulo reprobati fuerint, irremissibiliter habitu expolientur, nec iterùm recipiantur, nisi arbitrio, & judicio Definitorii Provincialis constiterit, causas expulsionis cessasse: qui verò sponte suâ discesserit, non recipiatur unquam, nisi ejus conversio vehemens certam emendationis expectationem moveat. Tunc autem à nullo Conventu admittatur, sine consensu Prioris, & Capituli ejusdem Domûs, unde recessit, si Patres ii in ea perseverent: si verò non perseverent, non recipiatur sine accurato examine seriæ conversionis. Expulsus denique ob culpas, quas ex consuetudine committebat, nunquam postmodum recipiatur.

CAPUT VI.

De Novitiorum educatione.

1. PLurimum refert Fratres Novitios perfectè instrui, ut ad perfectionem excitentur. Propterea Magistri

giſtri Novitiorum conſcientiam oneramus, ut omnia, quæ ad rerum ſpiritualium notitiam, virtutum acquiſitionem, vitiorum fugam, paſſionum mortificationem, Monaſticæ vitæ perfectionem, Sacramentorum frequentiam, votorum, & Regulæ (quam memoriæ mandent) Conſtitutionum obſervationem, Congregationis mores, & cæremonias pertinent, illos exactè doceat; & ad eum finem quotidie, ut in educationis Inſtructione præſcriptum eſt, ad eos ſermonem habeat, & privatis admonitionibus frequenter erudiat.

2. Attente conſideret, quam utilitatem ex Communione, Confeſſione, Sacra lectione, orationeque reportent; eoſque prudenter inducat, ut interiora omnia, ſive proſpera, ſive adverſa, ei aperiant, ut, cognitis uniuſcujuſque affectibus, rectiùs eos ad finem Inſtituti noſtri dirigere, ac perducere valeat. Quod ut efficiat, unicuique tempus ad actiones diſtribuat, & exercitia ſpiritualia, corporaliaque præſcribat.

3. Confeſſiones illorum in Oratorio, ſeu Choro, frequenter audiat; & prout in Domino putaverit expedire, Communionis frequentiam eis permittat. Interdum etiam de Prioris venia concedere poterit, ut Confeſſario alicui è Conventu confiteantur, qui eos ſolari, ac erudire poſſit: quod fiat raró, & ad ſingulas Confeſſiones ſigillatim det veniam.

4. Præ-

4. Præcipimus, ut Novitii Fratres non exerceant officia, quæ commercium cum ſæcularibus requirunt, ſed Magiſter in domeſticis exercitiis eos experiatur. Prior verò non ferat, ut alius quàm proprius Magiſter, & Capituli Præſes, dum Fratres ibi corripit, Novitios reprehendat, vel è contrario cum eis familiariter verſetur.

CAPUT VII.

De Novitiorum approbatione.

1. DEi gloria, & commune Congregationis bonum præ oculis haberi debet erga Novitiorum Profeſſionem. Expendant ergo Patres, quantùm in rerum ſpiritualium ſtudio, in ſui abnegatione, obedientia, humilitate, cæteriſque virtutibus Novitius profecerit; &, ſi inquietus, propriæque ſententiæ, ac voluntatis tenax, inconſtans, ab ſpecie mali non abſtinens, Congregationi inutilis, infirmus, aut ejuſmodi aliis defectibus notatus ſit, expellatur.

2. Ter in anni curſu, Novitii Capitulo proponantur: & antequam dies Capituli accedat, Patres, qui ſuffragia laturi ſunt, ſi eis placuerit, à Patribus aliis, vel Fratribus, qui domi morantur, quærere poterunt, quid de Fratribus proponendis ſentiant; quæ veraciter Capitulo referant. Ut

au-

autem die Capituli ad rem ventum erit, Prior, Magister, & cæteri Patres suffragaturi dicant, quid de Novitiis censeant, & posteà suffragia ferant in hunc modum.

3. Si primâ, secundâ, & tertia vice major Capituli pars Novitios approbet, domi remaneant, suo tempore professuri, nisi quid novi posteà Professione indignum in ipsis reperiatur. Si è contrario accidat, scilicet, ut major pars Capituli, etiam primâ vice Novitios reprobet, statim expellantur

4. Si tamen prima vice suffragia æqualia sint, domi remaneant, usque ad secundæ probationis tempus; si fortè proficiant: si verò secundâ, vel tertiâ vice, suffragia æqualia sint, mox expellantur.

5. Si autem Novitius aliquis eas culpas commiserit, quæ sine aliorum scandalo tolerari nequeant, statim expellatur; nec præfixum solitæ propositionis tempus expectetur. Imò si post approbationem ultimam ejusmodi culpas commiserit, vel quid novi Professione indignum in ipso reperiatur, iterum Capitulo proponatur, ut confestim expellatur, ac si nunquam fuisset approbatus: & idem servetur, quotiescumque post ultimam approbationem Prior voluerit, vel tres Discreti à Priore Conventûs hoc petierint. Quòd si post ultimam approbationem, tribus Discretis petentibus, Prior

Prior Novitium non proponat Capitulo, sit suspensus ab officio per tres menses: si autem post tertiam approbationem major pars Capituli petierit, ut Novitius denuò proponatur Capitulo, debet proponi; quòd si Superior non fecerit, & Professionem emiserit; Professio sit nulla, & Superior sit suspensus per sex menses.

6. Verumtamen piè, ac maturè procedatur in approbatione Novitiorum, qui adventitiis, idest, non habitualibus morbis laborant, si vitæ integritas constet: tunc enim de consensu Prioris, & Magistri Novitiorum, & Præpositi, vel Provincialis veniâ soliti propositionis termini, & Professionis etiam tempus prorogari poterunt, ut morbi exitus expectetur; ne sine culpa, qui bonis moribus præditus est, expellatur.

7. Nec ratione temporis, nec habitûs gestatione, neque exercitio aliquorum actuum, qui Professis peculiares sint, apud nos volumus tacitam Professionem induci: solam enim expressam Congregatio vult admittere. Quapropter donec expresè quis profiteatur, liberè abire, & à Conventu, si expulsione dignus judicetur, expelli poterit.

8. Nemo Novitiis, vel cuiquam alteri è nostris, vel extraneo, quod in Capitulo de illis dictum, & decretum fuerit, detegat sub pœna gravi. At Magister Novitiorum, post approbationem, quæ

sit

fit mense decimo, eis quemadmodum à Congregatione recepti jam sint, aperiet, ut sua negotia expedire, & se ad Professionem præparare valeant.

9. Cùm in Capitulo constitutum fuerit, ut aliquis Novitius expellatur; statim è dormitorio Novitiorum in locum alium separetur, & de re à Patre aliquo destinato prudenter moneatur: qui expulsum prudenter soletur, ut patienter eventum illum ferat; curetque, ut tam ipse, quàm ejus consanguinei sine dedecore maneant, & bonum erga Congregationem affectum nunquam deponant, & ut etiam inter nostros bènè audiat. Ejus culpæ, ob quas expellitur, nisi publicæ sint, sileantur; & adduci poterit alia causa, quæ bono nomini contraria non sit, ad satisfaciendum iis, qui rem ignorant.

10. Si elapso Novitiatùs anno, Provincialis absolutè negaverit licentiam alicui Novitio emittendi Professionem, statim expellatur, etiamsi à Conventu fuerit approbatus.

CAPUT VIII.

De Professione emittenda, & Professorum spirituali profectu.

1. POstquam Fratres se ad Professionem præparaverint, eam solemniter emittent; & præter tria solemnia vota, quartum non ambiendi

officia, & Prælationes emittent, voventes, se nunquam directè, vel indirectè, per se, aut per alium, intra Congregationem ullam Prælationem, aut officium per Constitutionem prohibitum, prætensuros; & pariter extra Congregationem, neque directè, neque indirectè, per se, aut per alium, ullam Prælationem prætensuros, vel oblatam acceptaturos, nisi adstringantur præcepto ejus, qui jure præcipere possit.

2. Sit liber Professionum in arca trium clavium servandus; cujus compendium Præpositus habeat; in quo notetur patria, ætas Professorum, & nomina, quibus in sæculo vocabantur, unà cum propriis suorum parentum nominibus. Notetur etiam hora, quâ Professionem emiserunt. Singulas autem Professiones Prior, Magister Novitiorum, & Professus ipse subscribant.

3. Ne autem Professi Fratres defervescant à spiritûs calore, quem in Novitiatu conceperunt; ordinamus, ut in unaquaque Provincia assignetur domus destinata pro instructione, seu educatione Professorum; ad quam mitti debeant omnes Professi, quando e Novitiatu exeunt, ibi usque ad annum integrum à Professione ad minus permansuri; ubi, ut in virtute, & mortificatione perfectiùs confirmentur, spiritualibus exercitiis in dormitorio clauso sub Magistri ductu instruantur. Deducentur etiam


tiam ad hanc domum alii Professi judicio Provincialis. Præcipimus prætereà, ut Professi Fratres, quamdiu ad Sacerdotium non promoventur, si in Monasterio Novitiatûs sint, exercitia Novitiorum in omnibus sequantur, ac Magistro illorum subsint: si verò in aliis Monasteriis morētur, Supprior Conventûs sit Magister Fratrum Professorum, (præterquam in domo prædicta in qua Magister eligendus à Definitorio Provinciali potest esse alius à Suppriore, ut habetur infrà Cap. 24. tertiæ Partis) qui per hebdomadas singulas, semel saltem, exhortationem faciat, & eos non solùm coram Communitate Monasterii, sed in Oratorio, & privatim corripiat, & instruat; non tamen in Cellas ipsorum, neque ipsi in ejus Cellam intrare possint, nisi absente Priore. Det operam Supprior, ut singulis hebdomadibus peculiarem virtutem eligant, & colant, Deique præsentiam præ oculis semper habeant; nec à bonis moribus, quos didicerunt, ullo modo recedant. Illorum prætereà Confessiones audiat, & de exercitiis internis, & externis rationem exigat; & denique sic illos in Dei timore, & amore continere curet, ut à Novitiorum fervore, quoad fieri poterit, minimè discrepent. Si autem in Conventu, ubi Professi educantur, alius à Suppriore sit Magister; omnia supradicta ad ipsum Magistrum pertinebunt, qui poterit in ipsorum Cel-

las, & ipſi Cellam ejus intrare: eos tamen coram Communitate, niſi præſit, non corripiat.

4. Profeſſi Fratres ſacris Ordinibus non initiabuntur uſque ad triennium à Profeſſione elapſum: tunc verò ante promotionem, à Conventu priùs quoad mores, poſteà ab Examinatoribus quoad ſcientiam approbentur: de quibus certior fiat Provincialis; qui niſi ex cauſis valdè urgentibus non permittet, ut ante id tempus initientur, ii præſertim, qui in ſtudiorum curſu verſantur.

5. Fratres Profeſſi uſque ad Sacerdotium in Capitulum ſuffragium non ferant: qui verò jam Sacerdotes induuntur (quos uſque ad annum expletum à Profeſſione Magiſtro Novitiorum ſubeſſe volumus) & qui ante triennium à Profeſſione elapſum Sacerdotium in Religione ſuſceperint, quouſque à Profeſſione triennium èxpleverint, non ſuffragentur.

6. Patres gremiales Capituli Conventualis in primo Capitulo, quando fuerint declarati Capitulares, juramentum ſecreti præſtabunt; & tunc obligabit, quando major pars Capituli id judicaverit expedire.



CA-

CAPUT IX.

De Eremi Monasteriis, ac eorum fine.

1. CUm solitudo Professioni nostræ maxime consentanea sit, & ad resumendas vires animæ admodum opportuna; post aliorum Conventuum Constitutiones, ea quæ ad Eremiticæ vitæ rationem juxta nostrum Institutum spectant, tradere pernecessarium est. Et propterea in primis statuimus, ut in unaquaque Provincia unum tantùm sit Monasterium Eremiticum, ubi Fratres à Præposito, seu Provinciali designati habitent, soli Deo vacantes.

2. Finis potissimùm Eremiticæ Institutionis nostræ is est, ut Fratres in Eremis commorantes jugi orationis, precum, ac vigiliarum studio, assiduâ corporis mortificatione, aliisque piis operibus, omnibus fidelibus, totique Ecclesiæ maximè prosint: & ob id præcipimus, ut in Conventibus Eremi omnia Sacrosanctæ Missæ sacrificia Deo pro Ecclesiæ, ac Religionis spirituali augmento, propriisque Eremi obligationibus, & necessitatibus, nostræque Congregationis benefactoribus persolvantur; nec ratione aliquâ, pro celebrandis Missis, aliquid recipi possit, cùm necessaria Eremorum Conventibus, pro congrua vitæ sustenta-

tione, judicio Definitorii Generalis, suppeditaverint. Nec Superior aliquis, etiam Præpositus Generalis cum Definitorio Generali, possit ad quodvis Missarum dicendarum onus Eremorum Conventus addicere, aut in Constitutione hac dispensare.

3. Quia verò Eremiticam asperitatem Religiosi tepidiores, & virtutum experientiâ non probati, difficile amplectuntur; præcipimus, ut in Eremo habitandi licentia non concedatur Novitiis, junioribus Professis, ægrotis, corpore debilibus, nimiùm melancholicis, valetudinariis, ad exercitia spiritualia parùm propensis, ac denique aliis quibuscumque ad perfectionem Eremiticam parùm idoneis. Præpositus verò, vel Provincialis bene consideret, quos esse deceat, qui ad Eremum mittendi sunt; & de hac re Priorem Eremi regulariter (si commodè fieri potest) consulat.

4. Nullum autem ibi minùs quàm per integrum annum morari permittat, nisi quis justa de causa illuc per menses aliquot mittendus esset, ut ad Quadragesimæ conciones, vel aliud hujusmodi opus pium se præparet. Et si quispiam ob id in Eremum mittatur, tempore, quo ibidem commoratur, vitæ Eremiticæ exercitiis occupetur, & in omnibus, ac cæteri Conventuales se gerat. Qui à Præposito, vel Provinciali licentiam in Eremo ul-

ultra annum commorandi non obtinuerint; peracto anno, à Provinciali, si erant Conventuales in illa Provincia, ad alios ejusdem Provinciæ Conventus mittantur: de iis autem, qui ex alia Provincia advenerint, Prior Eremi Provincialem, Provincialis verò Generalem certiorem faciat. Provideat omnino Provincialis, ut quatuor ad minus perpetuò in Eremo commoraturi, ipsis volentibus, ac postulantibus, designentur; ut suo exemplo, vitæque Eremiticæ perfectione cæteros possint instruere: qui nullatenus ab Eremis avocentur, nisi justis de causis ad alios Eremiticos Conventus mittendi sint, vel nisi ipsi petierint, vel salutis necessitas, seu alia similis, gravisque causa id postulaverit.

5. Ut Eremi Conventus sit ab omni perturbatione liber, & ut Fratres in Eremis commorantes quietiùs orationi vacare possint, nec à contemplationis studio perturbari; ordinamus, ut nemo Eremum petat, non modò ibi expermansurus, sed nec visitaturus (exceptis Definitoribus Generalibus) sine scripta Præpositi, vel Provincialis venia; quam nisi detulerit, à Priore non recipiatur: cui tamen liceat Religiosos alterius Ordinis absque alia licentia admittere; quibus, justa & rationabili causa id exigente, licebit per unam noctem in Eremo commorari. Monemus autem Præpositum, & Pro-

vincialem, ut Religiosis nostris rarò, & re quoque benè pensatâ, facultatem invisendi Eremum concedant; iisque per duos, aut tres dies in Eremis commorandi tempus præscribatur, cùm experientiã constet, ex frequenti hospitum admissione in Eremis, quàmplurima exoriri posse, quæ Eremiticæ perfectioni vehementer nocent.

6. Strictè prohibemus, sæculares in Eremis hospitari, aut recipi; nisi sint ex illis, qui ibi propriis sumptibus aliquam Eremi cellulam construxerint, vel de Congregatione nostra valdè benemeriti, seu ita viri digniores, quibus sine Congregationis dispendio licentia negari non possit: in his enim casibus de licentia Præpositi; vel Provincialis, poterunt admitti, dummodò id non fiat singulis annis, nisi sexies aut septies ut plurimùm. Poterit tamen Prior, prout expedire judicaverit, si non fiat frequenter, sæculares admittere, ad orandum tantùm in Ecclesia. Nullus prætereà sæcularis ibi pernoctet, nisi inevitabilis causa, vel arcta necessitas id fieri coëgerit; nec Provincialis id nisi rarissimè permittat; nec alicui sæculari è Conventu præter Ecclesiam & Sacristiam aliquid videre permittatur, nisi vir aliquis insignis fuerit, cui sub rusticitatis nota omnia loca videre permittendum sit. In his autem duobus eventibus Prior sine trium antiquorum Pa-

trum

trum consilio, quid fieri debeat, non decernat. Prohibemus omnino, quempiam, cujuscumque conditionis sit, eremi nostræ Conventus petere venandi, aut piscandi gratiâ, aut cujuscumque alterius recreationis causâ; ne Conventus prædictis actibus recreationi capiendæ potiùs, quàm sanctitati acquirendæ destinentur. Nullus, nisi Archiepiscopus aliquis, vel Episcopus, vel insignior alius vir, & hoc rarò, in Refectorio vescatur. Nullus similiter dormiat in Cellulis separatis, aut intra Claustra Monasterii Eremitici, sed in hospitio pro extraneis destinato. Ad exercitia autem spiritualia in nostris Eremis facienda, nullus extraneus, sine licentia P. Præpositi Generalis admittatur.

7. Præcipimus in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto, & sub pœna excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, omnibus Eremi Superioribus, & Religiosis, etiam Donatis, ne uuquam mulieres, cujuscumque conditionis sint, quocumque titulo, sive ratione processionum, sive aliquo alio, etiam à Jure, vel privilegio permisso, intra Eremi terminos ingredi permittant: declarantes, omnem situm Eremi, ut clausuram reputari. * Mulieres verò ingredientes clausuram Eremi incurrunt Excommunicationem à Sanctissimo Domino nostro Gregorio XV. sub die 23. Iulii an-

no 1622. contra eas in hoc casu latam. Prohibemus etiam, ne P. Præpositus, aut Definitorium Generale possit in hac re, quocumque titulo dispensare, aut licentiam concedere, etiam à prædictis mulieribus aliquo Indulto, seu facultate à Sede Apostolica impetratâ, nisi hujusmodi sit, quæ obedientiæ, aut præcepti vim habeat. Sub quibus etiam, præcepto, censuris, ac pœnis mandamus, ne quis noctu, absque Prælati licentia, Eremi clausuram egrediatur. Curent diligenter Prior, & Supprior, & alii Religiosi Eremum incolentes, ut mulierum ingressum intra Eremi clausuram impediant: qua in re, si negligenter se gesserint, officio priventur, & ab Eremis expellantur.

8. Strictè prohibemus Religiosis in Eremo commorantibus, Confessiones sæcularium audire, præterquam famulorum domûs, & alicujus Sacerdotis, ibi fortè Sacrum facturi, * dummodò ad id sint ab Ordinario approbati, nisi rationabili ex causa cum aliquo P. Præpositus dispensaverit, vel in casu gravi, & raro; & id in anno septies tantùm fiat. In Eremo concio ad populum nunquam habeatur, nec Fratres Choristæ ad sacros Ordines promoveantur.

9. Fratres nostri in Eremo commorantes litteras nemini mittant, nisi P. Præposito, Definitoribus Generalibus, Provinciali, & Visitatori, cum quibus loqui, & ab eis litte-

ras

ras recipere possint. Quòd si quidpiam grave, ac urgens contingat, ob quod necessariò alicui scribendum sit, non nisi de Præpositi, aut Provincialis licentia fiat, vel Prior ejus nomine epistolam scribat. Priori verò licebit quoties, & ad quos expedire videbitur, & Procuratori, de licentia Prioris, pro iis tantùm, quæ officii proprii sunt, litteras dare, atque recipere.

10. Ut autem nulla ex causa Fratres nostri ibi commorantes ab orationis studio divertantur, studia scholastica, & quævis alia, ex quibus anima solet ariditatem pati, prohibemus; solique sacræ Scripturæ, Sanctorum libris, & piis opusculis vacare præcipimus; & ob id Superiores Religiosis in Eremis commorantibus codicem quempiam transcribendum committere non possint, aut quidpiam simile peragendum: laborem tamen manuum in Eremis consuetum non prohibemus.

11. In Eremo Discretorum electio non fiat: sed Prior, simul cum Suppriore, & Procuratore, singulis duobus mensibus computum de acceptis, & expensis faciat: sitque communis arca, in qua libri de rebus, & sumptibus Monasterii, ut in Constitutionibus decernitur, & etiam eleemosynæ reponantur; cujus unam clavem habebit Prior, & alteram Supprior. Quòd si aliquid occurrat ibi suffragiis decidendum, non à Patribus, sed à

Provinciali, ac domûs Priore decidatur.

12. Conventus Eremi ab oppidis ita ſeparatus conſtruatur, ut ab aliquo ex aliis noſtris Conventibus non longè diſtet, ut eo Fratres ægroti deducantur, inſigni charitate curandi.

13. In eo verò Conventu ultra viginti Fratres Clericos morari nolumus: numerus tamen Donatorum ad inſerviendum neceſſarius admittetur.

14. Qui in Eremo ita remiſsè ſe gerunt, ut ſpes profectûs non ſubſit: de Præpoſiti, vel Provincialis mandato ad alios Conventus mittantur.

15. Nullus verò Frater, ut pœnitentiam, ſeu pœnam ob culpam impoſitam impleat, mittatur ad Eremum.

16. Intra Eremi clauſuram, neque agri, neque arbores ſint, quibus colendis duorum, vel trium ſæcularium, vel Donatorum labor non ſufficiat; Prior autem quiſque annis ſingulis ſylveſtres arbores plantari faciat, ut locus amœnior, & orationi aptior fiat.

CAPUT X.

De peculiaribus Eremi actibus erga Orationem, Officiumque Divinum.

1. PRæter continuam orationem, cui ex Inſtituti noſtri ratione aſtringimur, & duas illas orationis horas toti Congregationi communes, quarum

rum altera primo mane horâ quintâ, altera Veſperi eâdem horâ habenda eſt; dimidia ante prandium, iis diebus exceptis, quibus Miſſa canitur, dimidia altera poſt Matutinum uſque ad horam ſecundam tantùm, poſt mediam noctem fiat: quibus Antiphona, Veni ſancte Spiritus, præmittatur; & ſubjungatur, Sub tuum præſidium. Intereà verò dum ſit ea dimidia paulò ante prandium, recitetur Miſſa, cui omnes interſint, & ante Miſſam Tertia, vel Sexta, juxta, temporum diverſitatem, poſt Miſſam verò Sexta, vel Nona recitentur. Poſt Completorium, juxta Congregationis noſtræ morem, fiet conſcientiæ examen.

2. Divinum Officium reverenter admodum, devotè, ſedate, & lentiùs, quàm in aliis Conventibus, perſolvatur: quod ut fiat, Horæ Matutinæ cum Laudibus Officiorum duplicium, & ſemiduplicium, unâ horâ cum dimidia; diei Dominicæ, & Feſtivitatum, in quibus collatio extraordinaria habenda eſt, duabus ferè horis; ſimplicium vero, & Feriarum, unâ horâ ad minus, & quartâ ejus parte regulariter perdurent. Veſperæ, Completorium, & Prima regulariter per horam dimidiam; Tertia, Sexta, & Nona ſingulæ per horæ quadrantem, & paulò ampliùs recitentur. Matutinum Officii parvi Beatæ Virginis dimidiâ horâ; Prima verò, & Tertia, ſimul

ſimul cum majori Officio, unâ horâ: Sexta, & Nona cum eodem Officio majori tribus horæ quadrantibus perdurabunt. Et eâdem ferè morâ Veſperæ, & Completorium majoris, & minoris Officii recitabuntur, Miſſa cùm canitur, ultra horam non perduret.

3. In Eremis Matutinum ſolùm canetur in die Natalis Domini, primo Paſchatis, & Pentecoſtes: quorum dierum, ſicut & Circumciſionis Domini, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, Commemorationis ſolemnis Ordinis noſtri, Aſſumptionis Beatæ Virginis, Patroni, Titularis, & ſanctæ Matris noſtræ Tereſiæ, primæ, & ſecundæ Veſperæ canendæ ſunt: canetur etiam Matutinum cum Laudibus trium dierum majoris Hebdomadæ, & Prima in Vigilia Nativitatis, Tertia in die Pentecoſtes, & Nona in die Aſcenſionis Domini; diebus verò, quibus collatio extraordinaria habenda eſt, Te Deum tantùm cantetur.

4. Miſſa Conventualis diebus tantùm Dominicis, & Feſtis, ac ſolemnitatibus Sanctorum noſtri Ordinis, qui cum Octava celebrantur, canenda eſt, & Feriâ quintâ in Cœna Domini cum duobus ſequentibus diebus: & Miſſa de Spiritu ſancto in die, quo celebratur Capitulum Generale, vel Provinciale: in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum: in die obitûs ſanctiſſimi Domini noſtri Pa-

pæ, Patris noſtri Præpoſiti Generalis, Definitorium Generalium, & Provincialis ejuſdem Provinciæ, in die obitûs cujuſcumque Religioſi illius Monaſterii, & pro quolibet corpore præſente. Officium etiam Dominicæ Palmarum, & Feriâ quintâ in Cœna Domini cum duobus ſequentibus diebus, benedictionis Cinerum primâ die Quadrageſimæ, benedictionis Candelarum in die Purificationis Beatiſſimæ Virginis, ſolemniter cum cantu celebretur. Singulis etiam Sabbatis, & Vigiliis omnibus Beatiſſimæ Virginis, Antiphona Salve Regina cantetur: ſed nec Sacerdos, neque Acolythi, aut Thuriferarius, apparatu ſacro, niſi in Vigiliis Paſchatum, induantur. Pſalmus etiam Miſerere, cùm communiter diſciplina fit, cantabitur.

5. Miſſa cantata ſine Diacono & Subdiacono celebrabitur, præterquam in Officiis Majoris hebdomadæ: quibus tamen diebus Miniſtri Dalmaticis non utentur. Fient etiam Proceſſiones ſolemnes in die Purificationis, & Dominica Palmarum; in die Reſurrectionis Domini, & Corporis Chriſti; in die Commemorationis Defunctorum: in diebus verò Rogationum, & ſancti Marci, Litaniæ canendæ non ſunt, ſed in Choro ante Miſſam recitandæ. In ſingulis Sabbatis, juxta noſtras Conſtitutiones, Miſſa Conventualis Beatiſſimæ Virginis, horâ ſoli-
tâ

ta ante prandium, pro ſpirituali Ordinis augmento recitabitur. Cùm Miſſa canenda, eſt dimidia Orationis hora ante prandium non fiet.

6. Vaſa uſibus ſacris deputata, ex auro, & argento, aut deaurata non fiant, excepto calice, & eo vaſe, in quo Sanctiſſimum Domini Corpus conſervatur, & in Proceſſionibus defertur, & alio pro infirmorum unctione; quæ, etſi argentea, non tamen ſumptuoſa, aut pretioſa eſſe debent.

7. Apparatus ſacer non ſit ſericus, ſed minùs pretioſus, at mundus valdè: liceat tamen in Eccleſiis, Choro, & Sacriſtia, aliquo ornatu Religioſo, & devoto uti.

8. Poſt cœnam, aut collationem, à Paſchate uſque ad Exaltationem ſanctæ Crucis, priuſquam ad Completorium ſignum detur, horâ ferè dimidiâ ſinguli ſeorſum ſedeant, deambulent, aut quieſcant; niſi pro temporum diſcrimine, minus temporis uſque ad crepuſculum ſuperſit.

CAPUT XI.

De aliis ritibus Eremi, quoad temperantiam, ſilentium, & receſſum.

1. VIctus Eremo idem erit, qui & aliis Conventibus: Feriis verò ſextis, ob Dominicæ Paſſionis cultum (ſi feſtum de præcepto, vel Ordinis no-

nostri non inciderit) Fratres nostri pane, vino, terræque fructibus, aut oleribus, etiam coctis (dummodò in modum pulmenti non parentur (tantummodò vescentur. At pridie diei Cinerum, nisi Festum sancti Matthiæ occurrat, ac die Parasceves, aquâ solùm & pane reficiantur; reliquo autem anni tempore, licet sit victus cum aliis Conventibus communis, semper tamen Eremi mensa debet esse aliquantò frugalior. Quod ut servetur in Eremis, quando jejunatur, detur pulmentum unum, cum uno tantùm ferculo: quibus apponantur fructus, seu lac, seu caseus, vel butyrum. Diebus verò Paschalibus, & extraordinariæ collationis, Prior, prout ei Dominus suggesserit, abstinentiæ rigorem poterit lenire, & Fratres abundantiùs reficere, quemadmodum & Festorum lætitia, & sanctorum Patrum consuetudo requirit. At die solùm Natalis Domini, primo Paschatis, & Pentecostes, & die Corporis Christi extra Refectorium cœnam permittet, vel aliis quatuor, vel quinque diebus, Prioris arbitrio designandis, si prædictis diebus non fiat.

2. In reliquis, quæ ad vitæ rigorem, & corporis castigationem spectant, tam in habitu, quàm lectulis, & pedum nuditate, & disciplina, quæ in communi fit, eædem, quæ pro aliis Conventibus leges statutæ sunt, serventur. Curent tamen Fratres in Eremo

mo commorantes arctiſſimam paupertatem tam communiter, quàm particulariter ſervare: omniaque Eremi utenſilia paupertatem, & ſimplicitatem maximè præ ſe ferant; & rebus vilioribus, aſperioribus, & parcioribus, quoad fieri poſſit utantur; nec alienæ, ſeu non conſentaneæ paupertati, quam profitentur, in Eremis recipiantur. Et Viſitatores diligenter requirant, an in Eremis, præter neceſſaria pro congrua ſuſtentatione, ſuperflui quidpiam inveniatur; & quæcumque non neceſſaria inventa fuerint; inter Conventus pauperiores provinciæ, de conſenſu Definitorii Provincialis diſtribuantur: quâ in re Prioris conſcientiam, & aliorum Religioſorum in Eremis degentium, oneramus, ut Patrem Provincialem, quandocumque occurrerit, moneant, ſi quæ ſuperflua in Eremis ſint. Ædificia tam in parietibus, quàm lignis potiſſimùm, paupertatem, humilitatem, ac ſimplicitatem redoleant; & curandum diligenter, quidpiam curioſi, etſi minimùm, ſive in communi, ſive in particulari, in Eremis non inveniri.

3. Perenne ſilentium ubique in Eremo abſque ulla exceptione Fratres obſervent: quibus, ſine Superioris licentia, ex rationabili tantùm cauſa concedenda, alterum alloqui non liceat. & nemini venia dabitur, ut cum Religioſis hoſpitibus, etiam noſtri

O.

Ordinis, eò accedentibus loquatur, nisi coram Priore, seu aliàs tempore collationis spiritualis, & id quidem rarò. Cum sæcularibus verò illuc euntibus solus Prior, Supprior, & Procurator de Prioris venia, & Janitor, ut officio suo præcisè satisfaciat, verba facere poterunt; exceptis parentibus, & fratribus, cum quibus, ut Fratres in Eremo degentes loquantur, semel tantùm in anno venia concedi potest. Poterit quoque concedere Prior, quàmvis rarò, & ex gravi causa, alicui Religioso, ex aliis, qui in Eremo degunt, ut cum aliquo insigni viro eò veniente loquatur. Curet autem Prior, nisi urgens ratio aliud persuadeat, ultra horam cum hospitibus non immorari.

4. Completorio dicto, in Cellula Prioris strictissimè silentium observetur: quo tempore de iis tantùm, & paucioribus verbis, quoad fieri possit, loqui permittimus, quæ sine detrimento in tempus silentii non adeò stricti differri non possunt; quod etiam cum hospitibus præcipimus observari, nisi fortè Completorio dicto ad Eremum pervenerint. Aliis verò temporibus, omnibus Eremi Religiosis licebit Priorem alloqui, & cum eo, ea, quæ sibi opus fuerint, conferre; præterquam in Choro, Ecclesia, Sacristia, Claustro, Dormitorio, & Refectorio: quibus in locis, tam à Prioribus, quàm subditis, silentium servandum est. In

Con-

Conventibus Eremi ſcripto, nutibus, ac ſignis, ad res faciliores exprimendas, communiter omnes, etiam miniſtri utantur.

5. Omnes Religioſi jugiter in Cellulis ſuis, ut Regula præcipit, maneant, lectioni, orationi, aut manuum operibus vacantes; & nullus in alterius Cellulam, ſine venia, ingrediatur: quod qui noctu fecerit, graviter Prioris arbitrio corrigatur. Si quis verò ex Religioſis in ſeparatis Cellulis degentibus, Cellam alterius abſque venia fuerit ingreſſus, primâ vice graviter puniatur, ſecundâ verò ab Eremo expellatur

6. Volumus verò Eremum incolentes Fratres omnes ita ſolitudinem amare, ut nemini eorum; ex quacumqne cauſa, ſeu occaſione, liceat extra Eremi Clauſuram egredi, præterquam Procuratori peculiariter deſignato; qui tantùm pro rebus Monaſterii omnino neceſſariis cum Fratre non Choriſta, cum quo individuus ſemper procedet, exire poterit. Curent Superiores, ea quæ commodè per ſæculares, aut Fratres Donatos fieri poſſunt, Procuratori nullatenus committantur; & Provincialis provideat de ſufficiente, & idoneo Procuratore pro Eremo. Si verò deſignatus Procurator ire nequiverit, non liceat Priori, ſine Præpoſiti, vel Provincialis conſenſu, alterum Procuratorem eligere, vel loco

ipſius

ipſius alium etiam pro brevi temporè ſubſtituere.

7. Prior nunquam ex Eremo prodeat: quòd, ſi gravis, urgenſque exeundi occaſio ſe obtulerit, hoc fiat de licentia P. Provincialis.

8. Decernimus, ut in Eremis ordinariæ eleëmoſynæ, ut in aliis Conventibus, per Fratres etiam Donatos, aut ſæculares non qnærantur; Deo maximè fidentes, qui ſervos ſuos ei fideliter inſervientes, nunquam deſerit. Quæ verò ſibi erogata fuerint, maxima cum gratiarum actione, ut veri pauperes recipiant,

CAPUT XII.

De Eremitis, & eorum Cellis.

1. IN Eremo præter Clauſtrum conſtruentur Cellulæ Eremiticæ, à Clauſtro, invicemque ſeparatæ, ſepto tamen concluſæ: ad quas tantummodò ſe recipient, qui à Priore veniam impetraverint, per tempus ab ipſo deſignatum ſolitariæ vitæ vacantes; qui in omnibus, præter hic ſpecialiter notata, communem cum aliis vitam ſervabunt, & ſigno in Clauſtro dato, ſignum etiam dabunt ſuis campanulis Eremitæ: qua in re, qui negligenter ſe geſſerint, corrigantur: eoſdemque, quos in Conventu, actus exequentur, & easdem certas horas obſervabunt

quoad

quoad Orationem, Officiumque Divinum.

2. Qui ad hujuſmodi Cellulas ſe recipiunt, aſperiori victu, eo, qui communiter in Conventu ſervatur, utantur; & oleribus tantùm crudis, aut coctis, faciliter tamen paratis, terræque fructibus regulariter veſcantur, niſi ob debilitatem, vel aliam juſtam cauſam, Prælatus cum aliquo diſpenſaverit: & nullo modo ad Eremiticas Cellulas libri Scholaſtici, aut Concionatorum, aut conſcripti codices ferantur, ſed tantùm ſanctorum Patrum opera, vel libri ad ſpiritualem animæ profectum attinentes.

3. Singulis diebus Dominicis omnes Eremitæ ad Capitulum Conventuale conveniant, & in Conventu communibus actibus intererunt, & poſt Veſperas ad ſuas Cellulas redibunt, niſi collationis dies fuerit: tunc enim uſque ad collationem expletam in Conventu morabuntur.

4. Feriâ ſecundâ poſt primam Dominicam Adventûs, omnibus in Eccleſia congregatis, & factâ à Priore, pro rei opportunitate, exhortatione, omnes per aliquod ſpatium orationi vacabunt, & ſex ad minus ad Eremi Cellulas ſeparatas, à Priore deſignatas, recedent, uſque ad diem, quæ præcedit vigiliam Nativitatis Domini: idemque ſervabitur primâ die Quadrageſimæ, ubi factâ à Priore cinerum

rum impositione, acceptâque benedictione, ad solitarias Cellas se conferant, usque ad diem Dominicæ Palmarum. Curabit tamen Prior, ut in Conventu sufficiens Religiosorum numerus sit, ad Divinum Officium debitè persolvendum. Festivis diebus, qui hoc tempore occurrent, licebit Priori consuetæ abstinentiæ rigorem lenire, & abundantiùs Fratres in separatis Cellulis degentes reficere. In Conventu Capitulum, & collationes pro iis tantùm, qui in eo, prædicto tempore commorantur, fient. Curabitque Prior, quoad fieri poterit, prædictis temporibus Adventûs, & Quadragesimæ majori curâ, quam reliquo anni tempore, occasiones cum sæcularibus agendi, vitare. Recedent etiam aliqui Fratres, de Prioris venia, ad Cellulas Eremi separatas, ab Ascensione usque ad Pentecosten; ita ibi mansuri, ut Prior justis de causis eos, sicut, & cæteros supradictos, ad Monásterium revocáre, mutare, & cætera disponerè possit, prout ei in Domino videbitur expedire.

5. Nemo ex Conventualibus ad separatas Cellulas mittatur, nisi ad minus duobus mensibus communibus Eremi actibus in Conventu interfuerit. Prior, aut Vicarius Eremi semel saltem in hebdomada Fratres, qui in separatis Cellulis morantur, visitabit.

CA.

CAPUT XIII.

De ſpiritualibus Collationibus.

1. Singulis quindecim diebus die Dominicâ, niſi ordinaria, vel extraordinaria Collatio tribus, vel quatuor diebus anteà habita, vel poſt dies tres, aut quatuor, diebus infrà aſſignandis, habenda ſit, more ſanctorum Patrum per duas horas Eremitæ conveniant in locum aliquem deſignatum, & de re aliqua ad ſpiritualem profectum opportuna, quæ in Collatione ultima pro ſequenti Collatione proponatur, mutuò conferant: idemque fiet in diebus feſtivis Nativitatis, Purificationis, & Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, in die ſancti Pauli primi Eremitæ, Sancti Patris noſtri Hilarionis, in Vigilia Reſurrectionis, Nativitatis Domini, & Dominica Palmarum, & tribus aliis diebus anni totius, Prioris arbitrio. In omnibus autem diebus trium Paſchatum, in Feſto Titularis, & ſanctæ Matris noſtræ Tereſiæ, & ſolemnitatibus omnibus primæ claſſis, prætérquam in Dedicatione propriæ Eccleſiæ, in die Circumciſionis Domini, & in Commemoratione ſolemni noſtri Ordinis, & in die immediatè præcedente Feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis (niſi Feria ſexta fuerit, quia tunc

tunc Feriâ quintâ fiet Collatio) in Dominica Quinquagesimæ, prima Adventûs, & in adventu Patris N. Præpositi Generalis, Collatio extraordinaria habenda est.

2. Nunquam conveniant Fratres in Eremo commorantes pro extraneis; qui nisi de expressa Præpositi, vel Provincialis venia, cujuscumque dignitatis sint, nostris Collationibus interesse non possunt; nec pro quovis Religioso, etiam Congregationis Superiore, præterquam Definitoribus Generalibus, Provinciali illius Provinciæ, & Visitatore, pro quibus tantùm convenire debent Fratres in Conventu commorantes; & præterquam in adventu Patris Præpositi, & Eremi Visitatoris, & cum de novo aliquis Eremita admittitur, vel recedit; pro quibus omnes, etiam qui in separatis Cellulis degunt, convenire debent: & in iis eventibus horâ tantùm dimidiâ, paulòve ampliùs simul immorentur.

3. In extraordinariis Collationibus Religiosi, de Prioris arbitrio, bis in die conveniant, & per tempus à Priore definiendum spiritualiter conferant: in quibus, sicut, & in ordinariis, curent diligenter Fratres omnes de spiritualibus rebus agere, & de iis, quæ ad animæ profectum spectant; cujusmodi sunt, quânam ratione dignoscendæ sint animi passiones, quibus remediis moderandæ, ac regendæ,

F de

de Virtutibus acquirendis, earumque actibus, ac exercitio, & de aliis, quæ Eremiticæ perfectioni maxime prosunt: caveantque diligenter ab omnibus verbis otiosis, novitatibus, rebus sæcularibus, quæ ædificationem non præ se ferunt, & sermonibus inutilibus, aliisque, quæ iis qui ad perfectionem tendunt, potiùs obesse, quàm prodesse possunt.

4. Cùm Collatio spiritualis, sive ordinaria, sive extraordinaria, habenda est; priùs dimidiâ horâ, pro temporis opportunitate, fiat mentalis oratio; & post Collationem, in ordinariis, aliâ dimidiâ, vice consuetæ horæ orationis vespertinæ, quæ in extraordinariis omittenda est.

5. In Conventibus Eremi Visitator quicumque nihil possit mutare, addere, vel auferre rebus constitutis: quas, ut ad simplicem verborum intellectum observent, Fratres nostros in Domino vehementer hortamur.

CAPUT XIV.

De Conventibus studiorum.

1. SEminarium errorum, ignorantia est: quapropter constituimus, ut in Congregatione nostra sint Conventus, ubi Philosophia, Theologiaque prælegantur: ita ut in unaquaque Provincia possint esse duo Conventus

ventus dumtaxat ſtudiis deſtinati, unus pro Philoſophia, alter verò pro Theologia. In Provinciis verò de novo erigendis, quamdiu non habebunt ſex Conventûs, Definitorium Generale decernat quid faciendum. Horum autem Conventuum hic peculiaris finis erit, ut per ſtudia illa, illæsâ diſciplinæ regularis obſervantiâ, proximis intra, extraque Clauſtra noſtra ad ſalutem opem feramus.

2. Quod ut fiat, curandum eſt, eorum Conventuum Priores ita doctrinâ præſtare, ut domûs gubernationi, & Lectionibus, ac exercitiis ſcholarium, modum præſcribere valeant.

3. Præter Priorem erit Supprior, & alii Patres, qui concionari, ac ſæcularium Confeſſiones audire poſſint: non enim Fratres ſtudentes hujuſmodi operibus vacare volumus, ſi commodè fieri poſſit, donec ſtudiorum curſum confecerint.

4. Donati tot erunt, quot ad inſerviendum neceſſarii videbuntur.

5. Ut autem ſtudiis tempus commodiùs diſtribuatur, Matutinum, & Completorium, horâ in Inſtructione præſcriptâ, recitabuntur: Horæ autem cæteræ ita diſtribuentur, ut paulò ante prandium duæ ex illis recitentur, ac deinde examen conſcientiæ fiat

6. Feriâ ſecundâ cuiuſcumque hebdomadę non dicentur defunctorum Veſperæ, quæ in Conventibus aliis recitantur.

 7. Qui

7. Qui ad ejuſmodi Conventus mittendi ſunt, virtute, ac ingenio polleant, qui ſaltem annum integrum à Profeſſione confecerint, niſi Præpoſitus, vel Provincialis cum aliquo diſpenſaverit. Cùm novus ſtudiorum curſus incipitur, ex Provincialis, Definitorumque Provincialium conſenſu Fratres eò mittantur: at ſi poſt inceptum curſum aliquis eò mitti debeat, Provincialis venia ſufficiet.

CAPUT XV.

De litterarum exercitiis, quæ in Conventibus ſtudiorum fieri debent.

1. DUo ſaltem Prælectores, unus Philoſophiæ, unus, aut plures Theologiæ à Definitorio Provinciali deſignentur: ita tamen, ut causâ mortis, vel infirmitatis poſſit Provincialis alium ſubſtituere uſque ad primum Definitorium Provinciale; quorum non modò ingenium, ac doctrina, ſed potiſſimùm veræ virtutis integritas ſpectabitur, ut cæteros ad ſalutem poſſint erudire.

2 Hi legent juxta Prioris diſpoſitionem; qui eis ad Lectiones præmeditandas tempus opportunum, & ab actibus communibus exemptum concedet, prout in Domino crediderit expedire.

3. Prælectores, cæterique Fratres univerſi, opiniones malè fundatas, & no-

novitatem præ se ferentes deponant; & sancti Thomæ doctrinam, tam in Philosophicis, quàm in Theologicis omnibus sequantur; & quæ in Summa docuit, præferant, quæ alibi tradidit.

4. Prælegatur sancti Thomæ Summa eo ordine, quo ab illo disposita fuit: Lectores verò è suggestu non dictent, ut ibi à discipulis lectiones scribantur; nec dubia, quæ è textu S. Thomæ non sint intrinsecus nata, frequenter proponant: dubia autem ordinariè uno ejusdem sancti Doctoris articulo longiora non sint.

5. Philosophiæ Lector, tam in Logica, quàm in Physica, & Metaphysica, doctrinam sancti Thomæ amplectatur; ita ut contra ejus opiniones nihil affirmet. Prælegat autem Auctorem Thomistam, à Præposito, vel Provinciali designandum.

6. Sacræ Scripturæ Prælector Textum sacrum breviter interpretetur, & dubia occurrentia breviter quoque solvat: nec Patris alicujus expositionem, nisi cum Patris alterius opposita interpretatione, refutet.

7. Prælector casuum conscientiæ breviter dubia dissolvat; & omnes opiniones, in tutiorem partem incumbens, semper sequatur.

8. Nullus è nostris publice in Academiis legat: vel librum, aliquodque Opus quovis modo inscriptum imprimi faciat, * nisi servatâ formâ Aposto-

licarum Constitutionum, & de Præpositi venia, qui, priùs quàm imprimatur, Opus per se legat, vel alicui è nostris legendum committat. Qui verò secùs aliquid imprimi fecerit, pro culpæ modo puniatur.

9. Fratribus studiorum cursum confecturis, tres anni Philosophiæ, tres Theologiæ, unus saltem doctrinæ Moralis, & sacræ Scripturæ gustandæ concedatur. Nullus autem Superior, nisi Definitorium Generale, dispensare possit, ut totus cursus Theologiæ ante tres annos suprà assignatos dissolvi possit.

10. Provincialis, vel alius, cui rem ille commiserit, Prior, ac primus Prælector, quotannis sub initium, vel finem cursus studiorum, Fratres studentes examinabunt de iis, quæ illis temporibus didicerunt; & explorabunt, quâ morum integritate illucusque processerint: statimque per secreta suffragia tam in moribus, quàm in doctrinâ, approbentur; aut si meruerint, improbentur, & à studiis removeantur.

11. Grammaticæ, vel hujusmodi humanarum, quas vocant, litterarum lectiones, sæcularibus patentes, in nostris Conventibus prohibemus: at in quovis Monasterio, præterquam Eremi, ac Novitiorum Conventibus, Scriptura sacra, vel doctrina Moralis legatur ab iis, quos Provincialis designaverit, & lectionibus iis omnes

Fra-

Fratres ad Prioris nutum intersint. Sæculares autem, etsi pauci sint, nec his, neque illis, quæ in studiorum Conventibus leguntur, sine Provincialis, ac Definitorum Provincialium consensu intersint: at verò si justa de causa expedire visum fuerit, ut sæcularis aliquis ad lectiones admittatur, Præpositus, vel Provincialis veniam dare poterit.

CAPUT XVI.

De Conventu missionum.

1. HAbeat Romæ Congregatio nostra Conventum missionum, soli Præposito Generali, quoad electionem dumtaxat, & Conventualitatem Fratrum ibi futurorum, subordinatum: qui Conventus sit tamquam Seminarium, quò conveniant Religiosi ex omnibus Congregationis Provinciis, de ipsius Præpositi venia, ut ad proprias Provincias doctrinâ instructi revertantur, vel ad disseminandum inter infideles Evangelium mittantur.

2. Fratres nostri, qui de Præpositi venia in eo Conventu moraturi sunt, instruantur linguarum peritiâ, controversiarum doctrinâ, & aliis, quæ ad errores infidelium refellendos, & Catholicam veritatem confirmandam, & mores etiam componendos, opportuna videbuntur.

3. Qui ad Seminaria mittuntur, elapso anno, tempore, quo fit renovatio votorum, possint emittere votum eundi ad missiones. Hortamur autem Superiores omnes, ut ad Seminarium mittant solùm Religiosos, qui habeant spiritum missionum.

4. In Seminariis servetur modus ordinarius quoad seriem Communitatis, qui servatur in Conventibus studiorum.

5. Habebit Conventus missionum reditus annuos, qui nullo modo possint in alios usus converti, quàm in sustentationem ipsius Conventûs, & alia ad usum missionum attinentia.

6. Exibunt Fratres nostri è Conventu missionum, de Prioris venia, ad vicina oppida, Dei verbum pauperibus, ac derelictis prædicaturi: & licet eis aliunde victus suppetat, ut veri paupertatis cultores mendicabunt.

7. Præter Romanum autem missionum Conventum, in aliis quoque Provinciis, de venia Definitorii Generalis, alii Conventus missionum poterunt ædificari, suis Provincialibus more aliorum Conventuum subordinati, * servatâ tamen formâ Apostolicarum Constitutionum.

PARS

PARS TERTIA CONSTITUTIONUM

De Congregationis gubernatione.

CAPUT PRIMUM.

De Capitulo Generali.

1. TERTIO quoque anno, à Feria sexta ante Dominicam tertiam post Pascha inclusivè, usque ad Dominicam quartam exclusivè, Capitulum Generale (nisi arbitrio majoris partis Capituli per secreta suffragia ultra prædictos novem dies prorogari debeat) in Conventu per Definitorium Generale designato, qui à sæcularium strepitu, si fieri possit, remotus sit, celebretur. Ad quod, præter Gremiales, & Fratres Patrum obsequio necessarios, alii non accedant: & ut omnibus Capituli tempus, & locus innotescat, & iis, qui longiùs distant, in Regnis præsertim remotioribus, accedendi tempus suppetat, ante præcedentis Capituli dissolutionem, proximè futuri Capituli locus designetur.

2. Ferent ibi suffragia Pater Præpositus tam de novo electus, quàm

officio functus, Definitores Generales, tam officio functi, quàm recenter electi, Procurator Generalis, Provinciales, vel Vicarii Provinciales canonicè electi, vel Definitores Provinciales, quos tertio anno Provinciæ præsidere contigerit, juxta Constitutiones nostras infra Cap. 16. n. 10. & eorum socii, aut eorum substituti, juxta Cap. 17. n. 1. hujus tertiæ Partis: ex quibus, si quis fuerit legitimè impeditus, Procuratorem pro se mittere non possit.

3. Eligi verò poterunt à Capitulo ex universa Congregatione quicumque Sacerdotes professi, à Jure, vel per nostras Constitutiones voce passivâ non privati, & qualitatibus, quæ propriis locis notantur, affecti, præterquam semel à nobis expulsi, Apostatæ, & qui à sententia Congregationis ad Superiorem quempiam extra Congregationem, præterquam ad præscriptum Decreti Clem. VIII. appellarunt; & alii suis in locis indicati; & è Conventibus studiorum, qui cursum nondum perfecerunt, qui usque ad annum à cursu finito expletum, in aliquod officium eligi non poterunt in Capitulo Generali.

4. Prædicti omnes Generale Capitulum componentes, sine ulla nova evocatione, ad destinatum diem, ad Conventum designatum conveniant, sub pœna privationis ab officiis, & per annum vocis passivæ, nisi urgenti ratione,

tione, id omnino persuadente, impossibilis sit accessus; & tunc de expressa Definitorii Generalis in scriptis licentia, si haberi poterit: & Provinciales, quantum fieri possit, cum Sociis Provinciæ simul iter agant, & accedant.

5. Quod ad consessûs ordinem attinet, Præpositus recenter electus primâ sede gaudebit: secundâ Præpositus officio functus: tertiâ Definitores novi juxta seriem electionum: quartâ præcedentes Definitores juxta seriem suarum electionum: quintâ Procurator Generalis: sextâ Provinciales, seu Vicarii Provinciales, vel Definitores Provinciales, quos tertio anno Provinciæ præsidere contigerit, pro antiquitate suarum Provinciarum: septimâ Socii Provincialium juxta Provinciarum antiquitatem, & tam intra, quàm extra Capitulum, tempore quo celebratur, in eo Conventu sedebunt, & præsidebunt ordine, quo in Capitulo sedent: sed gubernatio domûs Priori relinquatur. In Capituli loco Procurator Generalis, & Provinciales, seu Vicarii Provinciales ad dexteram, Socii verò ad sinistram Præpositi sedebunt.

6. Proponet in Capitulo Præpositus, seu Præsidens, quæ dicenda occurrunt: si verò aliqua ipse prætermiserit, vel quavis de causa proponenda judicantur, quilibet Definitor, sentiente alio, petitâ veniâ, poterit proponere, ut decidantur. Idemque dicen-

dum quando quatuor ex alijs Capituli Patribus id postulaverint, ex quibus, qui alios loco præcedit, dubia proponet: nisi quod proponendum est, ad dispensationem, etiam pro una vice in materia regiminis, aut ad addendum, aut minuendum aliquid à Constitutionibus, seu Declarationibus, quæ vim Constitutionis habent, spectet: in quo casu, nisi Præsidens cum quatuor Definitoribus, aut major pars Capituli id petat, proponi non possit. Ut verò maturiùs omnia examinentur, graviora dubia ab una in alteram sessionem proponantur.

CAPUT II.

De precibus pro fælici Capituli Generalis exitu fundendis, & de Capituli initio.

1. INstante jam Capituli celebratione, in Conventibus totius Congregationis pro fælici exitu preces enixè fundantur, iis potissimùm diebus, quibus Capitulum agitur. In singulis prætereà Fratrum Conventibus Missa una de Spiritu sancto, pro qua nulla eleëmosyna recipiatur, quotidie dicetur: & Litaniæ similiter quotidie communiter recitentur, præter jejunia, disciplinas, & alia ejus generis opera, quæ à Fratribus pro communi bono spontè exerceri solent. Pridie

verò

verò quàm Patres Capitulum ingrediantur, locus modestè præparetur.

2. Mane ipso incipiendi Capituli in singulis Conventibus Missa de Spiritu sancto canetur cum Litania, & post horam ad initium Capituli præfixam, absentes ulteriùs non expectentur, dempto R. admodum P. Præposito, qui expectandus erit per octo dies, & non ultrà, si absens, vel infirmus fuerit, dummodò major pars Patrum Capituli, qui jam, ad Conventum destinatum convenerint, intra id tempus accedere posse judicaverit. Postquam Patres Capitulum constituentes, Sacrum privatum singuli fecerint, solemni Missâ etiam absolutā, in Chorum omnes conveniant, aliquantumque ibi orando quiescant. Deinde signo Capituli dato è Choro, Hymnum Veni creator Spiritus canentes, Capituli locum ingrediantur: quò simul ac pervenerint, coram effigie Christi Crucifixi genua flectant, Præsesque subjungat orationem: Deus qui corda fidelium, & Actiones nostras, detque statim surgendi signum, & omnes ordine præscripto sedeant, sedatis animis primum actum in Domino incepturi.

3. Primùm igitur præpositus, seu Præsidens, & Definitores generales Secretarium Capituli è Patribus ejusdem Capituli eligant per vota secreta, qui juramentum fidelitatis proprij muneris fungendi præstet, quo non solum sensum

verborum, ſed nec verbum aliquod addere, vel mutare valeat. Quod juramentum etiam præſtandum eſt ab aliis Secretariis Definitorii generalis, Capituli, & Definitorij provincialis. Deinde Præpoſitus, ſeu Præſidens, ac Definitores ſociorum litteras ſcrutabuntur, & an canonicè fuerint electi, explorabunt, quod ſi aliqua difficultas oriatur circa explorationem litterarum Sociorum, Gremiales Capituli per majorem partem ſuffragiorum rem decidant.

4. Mox legatur ſequens præceptum. In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto omnibus ſuffragaturis præcipimus, ut, ſiquis aliquem è præſentibus ferendi ſuffragii iure carere noverit, hodie id aperiat in Definitorio, & Definitorium, antequam electiones fieri incipiant, rem definiat; & ſi quid delatum fuerit contra Præpoſitum, & Definitores generales, & tribus ex quatuor è Definitorio viſum fuerit, rem eſſe animadverſione dignam, ſecretò vocentur alii tres Patres loco antiquiores, qui cum aliis prædictis quatuor, re mature conſiderata, per vota ſecreta rem definiant, ne tempus electionibus præfixum prorogetur.

5. Deinde omnes Gremiales Capituli generalis juramentum ſecreti eorum, quæ in Capitulo tractabuntur, præſtent, quod tunc obligabit, cum major Definitorii pars ſtatuerit, iuramentum in illo eventu debere obſervari. Poſteà attentè legantur

gantur

gantur ex Constitutionibus nostris capita duo, scilicet de Præpositi electione, ac de ejus officio, & numerus secundus cap. 36. tertiæ partis, ne quid memoria excidat: Peractaque lectione Præpositus, seu Præses, vel cui rem ille commiserit, concionem habeat de bona electione facienda, & rei gravitatem, sine ullius nomine expresso, vel etiam subindicato, ponderet.

6. His absolutis, Præses proximum diem, ad Præpositum, ac Definitores generales eligendos, designabit, hortabiturque suffragaturos, ut, rerum aliarum cura deposita, quod reliquum est temporis usque ad electionem orationi vacent, ac eligendorum mores considerent, ut sanctiùs in tanti ponderis actu se gerant. Quò verò opus hoc, cæteraque huic proxima quietiùs fiant, Præpositus, seu Præsidens exitum è claustro ad quæcumque negotia Patribus Capituli generalis prohibeat, donec actus ejusdem Capituli sint absoluti.

CAPUT III.

De Præpositi electione.

1. PRimo mane diei sequentis ad Præpositum eligendum præfixi, electores singuli sacrum de Spiritu sancto faciant, & Missa solemnis de eodem Spiritu sancto interea can-

cantetur, ad Dominum pro bono electionis exitu deprecandum.

2. His expletis omnes in Chorum conveniant, ac signum campanulæ dato, annuente Præside, Hymnum Veni creator Spiritus, concinentes, in Capituli locum procedant, ubi per horam dimidiam in oratione quiescant, qua peracta, Præses subdat Antiphonam: Sub tuum præsidium. & Orationem Deus, qui corda fidelium, moxque in Choro, vel Oratorio, Fratribus Monasterii interea orationi vacantibus, Patres sedeant.

3. Exclusis deinde, si qui fuerint voce carentibus, qui post Præpositum, vel Præsidentem primus sedet, illum ad cautelam ab omni absolvat censura, & in irregularitate dispenset, servato tenore facultatum Apostolicarum, idemque Præpositus, vel Præsidens erga Patres Capituli omnes faciat, ut electiones canonicè fiant, in hæc verba: Authoritate, quæ ad hunc actum mihi competit, absolvo vos ab omni censura, & vobiscum in irregularitate dispenso, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

4. Eligi poterit Præpositus non ex præsentibus tantùm, sed ex universa Congregatione quicumque maximè idoneus, in quo nullus sit ex defectibus cap. 1. hujus tertiæ partis enumeratis. Si verò Præpositus eligatur ex Provincialibus, vel aliàs aliquod officium, vel Prælationem ha-

beat,

beat, eo ipso vacent illa omnia, nec possit illa habere simul.

5. At præterea eligi non poterit, qui sexennium à suscepto Sacerdotii ordine, & decennium ab emissa professione in nostra Discalceatorum Religione, quadragesimumque ætatis annum non compleverit, & qui ob adversam valetudinem ab esu carnium abstinere, & Chori, ac Refectorij actibus ordinariè interesse nequiverit, nisi ætatis, ac valetudinis defectus singulari prudentia, & vitæ sanctitate compensetur.

6. Ut autem tam hæc Præpositi electio, quàm cæterorum; qui sunt in generali Capitulo eligendi, purior fiat: In virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto omnibus Religiosis nostris tàm subditis, quàm Prælatis præcipimus, ut nullus in tota Congregatione unquam possit directè, vel indirectè, per se, vel per alium procurare officium aliquod pro Religioso nostro, ex his, quæ per nostras Constitutiones ambiri non possunt. Et sub eodem præcepto omnibus electoribus præcipimus, ut unusquisque illorum, tàm in hac, quàm in omni alia electione in Capitulo generali per secreta suffragia facienda, suffragium ferat pro eo uno, quem unicuique officio coram Deo judicaverit magis idoneum, ac neget suffragium ei, quem noverit directè, vel indirectè, per se, vel per alium prætendere ad aliquam prælationem, vel officium promoveri, vel

vel alio modo quartum Votum de non ambiendo, vel præceptum de non prætendendo pro alio juxta noſtras Conſtitutiones violaverit: Idemque intelligi volumus in omnibus electionibus officiorum, ubicumque fiant, quæ per quartum votum ambiri non poſſunt.

7. Patres ergo ſtatim ad Præpoſiti electionem procedant, ferantque ſuffragia juxta modum cap. 7. præſcriptum, & Præpoſitus, vel eo abſente, qui præſidet, duoque, qui ei proximè ſedent, modo in prædicto capite præfixo, ſuffragia ſcrutabuntur.

8. Poſt ſcrutinium ſuffragiorum, ſtatim, ac electio canonica facta eſt, publicetur, facta verò publicatione, ſi Præpoſitus recenter electus adſit, qui primus poſt illum ſedet, eum ſtatim confirmet in hanc formam: Ego N. nomine meo, & omnium aliorum, qui mecum conſentiunt, confirmo te in Præpoſitum Generalem noſtræ Congregationis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ille verò, ſicut & Univerſi, qui ad Prælationes, & officia in quolibet Capitulo Congregationis eligentur, onus impoſitum, Dei auxilio fretus, ſine ulla repugnantia accipiat, & ferat.

9. Mox pro gratiarum actione Hymnus Te Deum cantetur, Præpoſitusque in Eccleſiam, aut Chorum deducatur, ubi ejus manum ſingulis genibus flexis ſuppliciter oſculantes, ejus obedientiæ

ſe-

ſe tradent, juxta modum in manuali præſcriptum.

10. Si verò Præpoſitus abſit, per octo dies à datis litteris computandos expectetur, ſi major Capituli pars intra id tempus accedere poſſe judicet, obſervato iter agendi modo, qui deceat noſtrum Inſtitutum, quo in eventu ſtatim per litteras moneatur, & interim à Capituli celebratione Patres abſtineant. Quod ſi major Capituli pars cenſeat, prædicto modo iter faciendi accedere non poſſe, non expectetur, ſed ſtatim ipſa die, vel proxima ſequenti ad reliquos Capituli actus procedatur. Similiter, ſi quacumque de cauſa, etiamſi intra dies octo poſſet accedere, non accedat, dictis diebus octo elapſis, ad reliquos Capituli actus procedatur.

CAPUT IV.

De electione Definitorum generalium, & Procuratoris generalis.

1. PRæſes, antequam Electores convocare faciat, temporis aliquantum aſſignabit, ut Deum orare, collatiſque rationibus apud ſe unuſquiſque deliberare poſſit, cui pacata conſcientia debeat ſuffragari, & ſimul ac tempus advenerit, in Capituli locum conveniant.

2. Deligentur ex univerſa Congre-
gatione

gatione idonei quicumque nullo defectuum cap. 1. designatorum effecti inhabiles, qui sint prudentia, & communis boni zelo insignes, & annum ætatis trigesimum expleverint, & à professione septimum attigerint, quæ conditiones requirantur etiam in eorum substitutis. Eligentur verò singuli seorsum ordine servato. Si verò eligantur, ex Provincialibus, vel aliàs sint Definitores provinciales, sive Priores, vel aliud officium habeant, eo ipso vacent illa omnia, nec possit illa simul habere.

3. Præcipimus autem, nè ex ijs, qui proximo triennio integro, scilicet electi in Capitulo generali præcedenti, vel in Definitorio generali immediatè post Capitulum Generale triennale, Definitorum officio defuncti sunt, in idem officium resumantur, nisi intra triennium, excepto uno, qui solus resumi possit ad aliud immediatum triennium tantùm. Si quis autem ex Definitoribus de novo electis, durante Capitulo moriatur, Definitor alius à Capitulo ex tota Congregatione eligatur, ultimo inter alios Definitores loco sessurus. Si verò is, aut alius quicumque Definitor ex recenter electis absit, ex Definitoribus officio functis, & alijs in eo loco suffragia ferentibus eligatur à reliquis Definitoribus tantùm, qui absentis vices gerat, qui tamen inter Definitores præsentes ordine servato, postremus erit.

erit. Idemque faciendum est ob absentiam Generalis, vel Vicarij Generalis, recenter electi, si Definitor aliquis Capitulo præsideat. Si autem ob mortem, vel absentiam, vel aliamquamcumque causam eligantur plures ad Definitorum numerum supplendum, semper Definitores proprii præsentes loco præcedent substitutos, qui pro antiquitate eorum, quibus substituuntur, sedebunt post præsentes Definitores.

4 Præpositus, si adfuerit, sin minus qui præsidet, duoque, qui ei proximè sedent, suffragia scrutabuntur juxta modum in cap. 7. præfixum, & Præses electos Definitores genuflexos statim omnes simul confirmabit. Quod si aliquis Definitor præsidere debeat, statim ipse solus confirmetur.

5. Primus Definitor à Capitulo Generali primo loco electus, sit eo ipso Præpositi Vicarius Generalis, sive ob mortem Præpositi, sive ob absentiam ab Italia, sive ob infirmitatem ita gravem, ut, cum Præpositus negotia agere non possit, curam congregationis ipsi primo Definitori committat, similiter ob aliam quamcumq;quàm depositionis, suspensionis, aut renunciationis causã.

6. Vicarius, qui est primus Definitor Generalis, non poterit alium Vicarium eligere, sed secundus Definitor succedet, & successivè tertius, & quartus. Quod si primus Definitor obierit, vivente Præposito, secun-

ſecundus loco ipſius ſuccedet, ac ſimiliter cæteri, etiam in officium Vicarii generalis.

7. Si mortuo Præpoſito, primus quoque Definitor ſex menſibus ante Capitulum generale moriatur, ſecundus, tertius, & quartus ſucceſſivè Congregationi præſideant. Si verò primi Definitoris mors ultra ſex menſes ante Capitulum contingat. Definitor, qui præſidet, convocet Patres ſeptem eo modo, qui in ſequenti numero explicatur.

8. Si Præpoſitus renunciet intra tempus Capituli generalis, ad Capitulum generale pertinet renunciationem acceptare cum majori ſuffragiorum parte, & alium eligere: Si verò extra Capituli generalis tempus renunciet, ad Definitorium generale pertinebit renunciationem admittere cum tribus è quatuor ſuffragiorum partibus, & tunc, ſi acceptetur renunciatio, Definitorium generale convocabit Procuratorem generalem, & tot Provinciales ex iis, qui primo loco ſedent in Capitulo generali, & morantur in Italia, quot ſufficiant ad numerum ſeptenarium explendum: ijs verò deficientibus, ſive infirmis, ſive abſentibus ab Italia, ſive venire nolentibus, qui aderunt congregati convocabunt tot Priores Conventuum antiquiorum Italiæ, quod ſufficiant ad prædictum numerum implendum. Qui ſeptem Patres eligant

Vi-

Vicarium generalem Congregationi præfuturum uſque ad Capitulum generale. Quod idem dicimus, ſi mortuo Præpoſito, primus Definitor renunciet officio Vicarii generalis.

9. Eligetur Procurator generalis ſedulus, ac prudens ad totius Congregationis gerenda negotia, qui ſex à profeſſione annos, & triginta ætatis expleverit, qui ſingularem miſſionum curam gerat. Si verò Procurator generalis eligatur ex Provincialibus, vel aliud quodvis officium habeat, eo ipſo vacent ſimiliter.

10. Præpoſitus, Definitoreſque generales, ac Procurator generalis, quando eorum officia expirant, nec in aliud officium eliguntur in Capitulo generali, eo ipſo habent vocem in Provinciis, ubi antequam fuiſſent electi, habebant conventualitatem, niſi aliam conventualitatem, abſoluto officio, Præpoſitus eis aſſignaverit, ac proinde ibi poterunt eligi, ſicut alii.

11. Statim poſt electiones, aperiantur publicè in Capitulo litteræ directæ Capitulo generali, quæ alibi, quàm in Capitulo aperiri non poſſint: quemadmodum, quæ Definitorio mittuntur, alibi quàm in ipſo Definitorio legi non poſſunt, & quæ ſubſcriptæ non fuerint, non legantur, ſed ſtatim publicè in Capitulo conſcindantur. Idemque de litteris non ſubſcriptis in quocumque Capitulo, & Definitorio ſervandum erit.

erit. Quæ vero subscriptæ erunt, remittantur Desinitorio Generali examinandæ, & quæ offensionem, infamiam, vel culpam alicujus non continent, legantur omnes publicè in Capitulo: illæ quidem, quæ ad leges spectant, antequam de legibus agatur: reliquæ verò, absolutis Constitutionibus, seu Ordinationibus.

CAPUT V.

De Constitutionibus, & Ordinationibus.

1. HIS electionibus absolutis, de Constitutionibus, & Ordinationibus, si quæ statuendæ sint, statim agatur. Interroget autem Capituli præses, antequam de statutis agere incipiat, an aliquid mali extirpandum sit, vel aliquid boni Congregationi desit, ut eæ leges condantur, quæ bono Congregationis necessariæ videbuntur.

2. Decernimus primò, nullam seu Constitutionem, seu Ordinationem, seu Prælatorum præcepta obligare ad ullam culpam, nisi scripta sub hac verborum forma: In virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, vel sub pœna excommnnicationis latæ sententiæ. Prælati autem amore potius boni, quàm pœnæ timore, subditos ad legum observationem inducentes, raro

rarò admodum ejuſmodi præceptis, aut cenſuris utantur. Quod ut rariùs, & prudentiùs fiat, decernimus, ut Præpoſitus præceptum hujuſmodi, aut cenſuram toti Congregationi imponere nequeat, niſi unà cum Capitulo generali, aut extra Capitulum, unà cum Definitoribus, quando congregantur, re priùs tam in Capitulo, quàm in Definitorio reſpectivè collata, & per ſuffragia deciſa: ac ita, ſi major pars ſuffragiorum præceptum, aut cenſuram ferri debere cenſeat, ferantur: minus ferri non poſſint, & ab omnibus irrita judicentur. Præcepta quoque à Capitulo, & Definitorio impoſita, quæ in corpus Conſtitutionum redacta non ſunt, niſi in ſequenti Capitulo triennali, vel Definitorio immediatè poſt dictum Capitulum faciendo reſpectivè confirmentur, uſque ad publicationem actuum Capituli illius, ſeu Definitorii, in quo confirmari deberent, tantum perdurent. Similiter præcepta alia quorumcumque Superiorum parti cuilibet Congregationis, Provinciæ, aut Conventui, vel alicui Religioſo impoſita, uſque ad publicationem actuum proximi Capituli Provincialis, vel Generalis triennalis perdurent: Provincialis quidem ſi à Superioribus Provinciæ impoſita ſint: Generalis verò, ſi à Præpoſito Generali, Vicario Generali, vel Præſiden-

te Congregationis imponantur. Decreta verò Definitorii Generalis, nisi confirmentur in Definitorio immediatè sequenti post Capitulum Generale triennale, & Ordinationes Definitorii Provincialis approbatæ à Definitorio Generali, nisi confirmentur in Definitorio immediatè sequenti post Capitulum Provinciale triennale, expirent. Decreta verò Capituli Provincialis semel approbata à Definitorio Generali durent usque ad sequens Capitulum Provinciale triennale.

3. In his ergo Capitulis cum expedire visum fuerit, bifariam leges condentur: aut enim ferentur ad tempus per experimenta probandæ, & hæ Ordinationes appellantur: aut leges ferentur perpetuò observandæ, & hæ Constitutiones vocabuntur, ad quarum custodiam Superiores debent exemplo, & hortatu esse solliciti, sub severæ punitionis pœna, usque ad depositionem ab officiis, si ob notabilem eorum negligentiam illarum custodia tepescat.

4. Quia verò ad custodiam legum plurimum confert, quæ sanciuntur, & pauca, & stabilia esse, sicut è contrario legum multitudo, & inconstantia observationem labefactant, & bono communi vehementer nocent: habet enim legis mutatio detrimentum quoddam communis salutis, quia tollitur consuetudo, quæ ad custodiam le-

gum

gum plurimum valet. Propterea decernimus, ut nulla Constitutio, nisi in Capitulo generali, & modo infra dicendo, condi, minui, vel abrogari possit.

5. Cùm igitur præter Constitutiones jam stabilitas, aliquid de novo Constitutionibus addendum fuerit, vel per modum declarationis, quæ vim Constitutionis habet, vel quocumque alio modo, fieri non possit, nisi in tribus Capitulis Generalibus immediatis tamquam ordinatio approbetur: in primo cum duabus è tribus: in secundo, & tertio, cum tribus è quatuor suffragiorum partibus; quod si in quocumque ex prædictis Capitulis non approbetur, statim eo ipso exspiret.

6. Decernimus præterea, ut nihil possit addi Constitutionibus, quod sit contra Constitutionem aliquam, vel eam alteret, vel mutet, nisi in tribus Capitulis Generalibus immediatis approbetur tanquam ordinatio, & in unoquoque cum tribus è quatuor suffragiorum partibus; quod si in quocumque ex prædictis Capitulis non approbetur, statim eo ipso expiret.

7. Nulla etiam Constitutio abrogari, vel tolli possit, nisi evidens sit utilitas, ob quam ab eo, quod æquum diù visum est, maturo consilio recedatur, & nisi per sexennium multis experimentis probatum fuerit, & in

tribus Capitulis immediatis, ad eam abrogandam, vel tollendam, tres è quatuor suffragiorum partes concurrant, reservato beneplacito Sedis Apostolicæ quoad Constitutiones ab eadem Sede Apostolica Confirmatas; quod si in aliquo Capitulo numerus iste suffragiorum desit, eo ipso Constitutio intacta permaneat.

8. Statuimus præterea, quod ad dispensandum in aliqua Constitutione in materia regiminis, etiam pro una vice tantùm, & ad tempus, & propter incidentes casus requirantur tres ex quatuor suffragiorum partes. In his verò, quæ ad mores attinent, Capitulum Generale dispensare non valeat cum uno, vel pluribus Monasteriis ultra annum, & tunc cum duobus è tribus suffragiorum partibus. Per hæc tamen non intendimus coarctare authoritatem Præpositi in foro interiori, & casibus occultis, quam habet ex jure, vel per privilegia juxta nostras Constitutiones:

9. Si autem quidpiam instet, cui omninò à Superioribus provideri necesse sit, Constitutionibus intactis, provideatur per Instructiones, vel per simplices declarationes, quæ circa aliquod dubium versantur, sive per simplicem ordinationem, aut simplicia acta, idem enim sunt: Quæ supradicta, si fiant in Capitulo Generali, sicut, & cætera ibi decidenda (nisi aliud

in Conſtitutionibus diſponatur) per majorem partem ſuffragiorum decidantur, & ab uno in aliud Capitulum triennale durent, &, ſi ibi non confirmentur, eo ipſo deficiant. Si quid autem in Capitulo Generali, vel Provinciali occurrat, quod omnino decidendum videatur, & ſuffragia fuerint æqualia, ſervetur quod inf. Cap. 7. n. 9. in hoc caſu ſervandum decernitur.

10. Ne qua verò de ſuffragiorum partibus oriatur contentio, cum in numeros æquales dividi non poſſunt, declaramus, ſi forte contigerit decem, vel undecim eſſe ſuffragia, quartam partem duobus tantum ſuffragiis conſtare, ac ad hujus numeri proportionem, cæteros eſſe ſupputandos, cum tres è quatuor ſuffragiorum partibus Conſtitutio requirit : ita ut cum numerus ſcindi nequit totus in quartas, ſuffragia, quæ ſuperſunt ab eo in quatuor partes æqualiter diviſo, annumerentur tribus ſuffragiorum partibus : Cum verò duas è tribus ſuffragiorum partes Conſtitutio requirit, declaramus, ita eſſe computanda ſuffragia, quæ ſuperſunt numero in tres partes æquales diviſo, ut, ſi ſuperſint unum, vel duo, duobus ſuffragiorum partibus annumerentur, niſi in aliquo caſu expreſſè Conſtitutio aliter diſponat.

11. Sint duo libri ad Conſtitutiones, quæ conduntur in Capitulis generalibus

libus scribendas, & unus Genuæ, alter Romæ in Archiviis Congregationis servetur, è quibus alter, quem Præpositus designaverit, in Capitulum Generale afferatur, & novæ Constitutiones, si quæ ferentur, in eo scribantur cum Præpositi, ac Definitorum subscriptione.

12. Declarationes, & Ordinationes seorsim in aliis duobus libris scribantur, cum Præpositi, ac Definitorum subscriptione, & originalia Genuæ, ac Romæ serventur, ut de libris Constitutionum assertum est. Declarationum autem, & Ordinationum exempla à Præposito, & Secretario subscripta, Provinciales in suas Provincias ferant, & eorum transumpta ab ipsis Provincialibus, & eorum Secretariis subscripta, ad singulos Conventus mittantur. Erit quoque liber alius, in quo scribantur Decreta Definitorii generalis à Præposito, primo Definitore, & Secretario subscripta. Exempla autem actuum Definitorii Generalis ad mores attinentia, à Præposito, & Secretario subscripta, ad Provinciales mittantur, & à Provincialibus ad singulos Conventus suæ Provinciæ, ab ipsis Provincialibus & eorum Secretariis similiter subscripta. Ac propterea ordinamus, ut in unoquoque Monasterio Provinciæ sint duo libri conservandi in area trium clavium, in quorum uno

uno conſervantur acta Capituli generalis, & in altero acta Definitorii generalis ſubſcripta à Provinciali, & ejus Secretario, ut ſupra dictum eſt.

13. Quia verò interdum contingit, leges Deo acceptas alicui minus probari, quòd earum rationes non benè capiat, ne quis fortè ob id commoveatur, præcipimus, ut nulli extraneo, niſi rarò, & ex Prioris venia, primique Diſcreti conſilio oſtendantur, ſub media pœna tranſgreſſori infligenda.

14. In qualibet Provincia fiat archivium pro conſervandis ſcripturis pertinentibus ad Provinciam: Et in Provincia Sanctæ Annæ ſit Conventus Sanctæ Annæ Genuæ: in Provincia Sanctæ Mariæ ſit Conventus Sanctæ Mariæ de Scala Romæ: in Provincia Spiritus ſancti Conventus Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Lublini: in Provincia Sancti Angeli Conventus Sanctæ Mariæ Lacrymoſæ Bononiæ: in Provincia Sanctæ Matris noſtræ Tereſiæ Conventus Sancti Joſeph Pariſiis: in Provincia Sancti Patris noſtri Ioſeph Conventus Sanctæ Mariæ Montis Carmeli Bruxellis: in Provinciis verò, quæ in poſterum erigentur, Conventus deſignabitur per Definitorium Provinciale poſt Provinciarum erectionem celebrandum. In quibus archiviis conſerventur Decreta Capituli generalis, &

Definitorii Generalis à Rev. admodum Patre N. Præposito Generali, & Secretario subscripta, & in librum compacta, & in duobus libris distinctis redacta: quæ archivia claudentur duabus seris, quarum claves, unam semper conservet Provincialis, & alteram Prior conventus: in prædictis etiam archiviis Provinciarum conserventur etiam processus, qui de arbitrio Definitorii provincialis videbuntur conservandi: Relationes fundationum Monasteriorum, annalia Provinciæ, si quæ erunt, & Vitæ Religiosorum, qui sanctitatis nomine decesserunt: omnia etiam instrumenta authentica Conventuum Provinciæ, quæ haberi poterunt, vel eorum copiæ, & nota contractuum, qui fiunt, annotato anno, die, & nomine Notarii: index omnium bonorum stabilium cujuscumque Conventus Provinciæ: Bullæ Pontificiæ, privilegia, & cætera; ex quo nihil extrahi possit, nisi de licentia Provincialis, & primi Definitoris provincialis. Archivia non aperiantur, nisi præsentibus duobus, qui habent claves, vel qui eorum vices gerunt.

15. Præterea in unoquoque Conventu sit liber, in quo electiones, & Decreta Capituli conventualis à secundo in antiquitate juxta cap. 27. tertiæ partis num. 1 scribantur, nisi charitas, vel aliqua alia ratio contrarium suggerat, & à Priore, primoque Discreto subscribantur.

16. Or-

16. Ordinamus præterea, ut archivia Congregationis, quæ sunt Romæ, & Genuæ, claudantur tribus clavibus; & Romani primam clavem habeat Reu. admodum P. N. Præpositus generalis, secundam primus Definitor Generalis, tertiam Procurator Generalis: In horum autem absentia Definitores successivè, & Prior domus claves retineant; & Genuæ unam clavem habeat Reu. admodum P. N. Præpositus Generalis, secundam P. Provincialis, tertiam Prior Sanctæ Annæ; in quibus Archiviis servabuntur Bullæ, & Brevia Apostolica, ad totam Congregationem spectantia, & reliqua: & reponantur in quolibet ex prædictis archiviis originalia, & exemplaria authentica uniuscujusque Brevis, & Bullæ, ex quibus (cum opus fuerit) exemplaria extrahantur: originalia verò ipsa non nisi in aliquo casu inevitabili, & tunc de consensu trium habentium claves. Prædicta archivia aperiri non possint, nisi præsente aliquo ex prædictis, apud quos claves erunt, vel in eorum defectu, præsente aliquo ex Definitoribus Generalibus; & inde nihil extrahi possit, nisi de consensu duorum ex prædictis, & tunc curent diligenter, & fideliter monumenta extracta iterum archivio restituere; in cæteris servetur Instructio de hac re.

CAPUT VI.

De aliis actibus Capitulo reservatis.

1. Constitutionibus, seu Ordinationibus in Capitulo conditis, negotia reservata confestim expediantur, & in primis agatur de missionibus cœptis alendis, & novis tentandis.

2. Omnes electiones, quæ interim dum Capitulum Generale celebratur, occurrunt, excepta ea, qua aliquis pro Definitore absente sufficitur, ad totum Capitulum Generale pertineant.

3. Legantur epistolæ Capitulo Generali directæ, quæ ad leges non spectant.

4. Agatur, si opus sit, de Institutione, vel divisione Provinciarum, vel de distinctione, unione, ampliatione, restrictioneque illarum: an aliquis Conventus in Congregatione deserendus videatur: præfigatur etiam numerus Conventuum, qui usque ad proximum Capitulum in unaquaque Provincia recipi poterunt, expenso idoneorum Fratrum numero in eos distribuendo.

5. Denique alia quæcumque Capitulo quovis modo reservata, & omnia alia eidem Capitulo benè visa pro suprema sua potestate, quam in Congregatione habet,

habet, quod fieri poterit, hoc loco absolvantur, & ut de negotiis gravibus Patres deliberent, temporis aliquantum concedatur, ut res singulas præmeditari valeant.

6. Cum autem contigerit Capitulum Generale, ob singulares causas extra tempora solita, celebrari, de Constitutionibus, & Ordinationibus nihil tunc agatur, & officia intacta permaneant, & in eo Præpositus Generalis, Definitores Generales, & Procurator Generalis officio functi, ratione prædictorum officiorum non habeant locum, nec vocem activam, sed tantùm in eo Capitulo, in quo expirant eorum officia.

CAPUT VII.

De ratione ferendi suffragia.

1. TAm electiones, quàm alia quæcunque, tàm in Capitulis Generalibus, & Provincialibus & Conventualibus, quàm in Definitoriis, per secreta suffragia fiant: ita tamen, ut si omnes Definitores Generales per litteras consentiant, possint res aliquæ faciliores ad Definitorium generale pertinentes, à Præposito, & Definitoribus decidi, de quorum decisione fiat mentio in proximo Definitorio, & scribatur in libro Definitorii, & teneantur

Definitores petere, si quid per litteras decisum fuerit: idemque respectivè fiat in Definitorio Provinciali in casibus in quibus permissum fuit, per litteras aliquid posse decidi.

2. Cum ex Concilio Tridentino Superiorum electiones per secreta suffragia fieri debeant, adeò ut electorum nomina nunquam publicentur: præcipimus, ut nullus, suffragium, quod pro aliquo fert, alicui ostendat, omnesque in eo actu secreti jus strictè custodiant, sub pœna privationis vocis, & loci ipso facto incurrenda.

3. Ut autem secretiùs suffragia ferantur modus hic descriptus servetur: Præses Capituli designet duos è Conventu fidos secreti custodes, qui Patribus jam confidentibus intrà, vel prope Capituli locum à Patribus, & à se ipsis mutuò ita separati sint, ut quid alter agat, neque à Patribus, neque ab altero possit cognosci.

4. Quibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, præcipimus, ut nemo illorum dicat, quisnam electorum talia nomina postulaverit, aut etiam talia non petierit.

5. Omnibus igitur electoribus confidentibus surgat Præses, & dignior post ipsum, & singuli adeant unum ex duobus illis Fratribus, & ab eo duo, vel tria nomina illorum, qui vulgò putantur eligendi, deposcant, ex quibus eligant unum, quem maluerint,

sta-

ſtatimque in Capituli locum ferendis ſuffragiis præparatum redeant, & coram omnibus in vas ad hoc paratum ſuffragium iniiciant, ſchedulaſque ſuperfluas ſecum retineant, & ſedeant: ſtatim verò, ac illi redierint, loco illis proximi idem facturi exurgant, & ſic cæteri ordinatè ſuffragentur. Confeſtim Capituli Præſidens, ac duo, qui ei proximi ſedent, ſuffragia publicè ſcrutabuntur, itaut nomina in ſingulis ſchedulis ſcripta apertè legant, & à ſuffragatoribus audiantur: quod in omni Congregationis Capitulo, & Definitorio, dum ſuffragia feruntur, obſervandum eſt.

6. Si quis ergo prima vice ſuffragia plura ſolus, quàm omnes alii ſimul habere inventus fuerit, erit canonicè electus, ſtatimque publicabitur: ſi verò nullus prima vice plura cæteris omnibus habeat, iterum ſuffragia ferentur: ſi autem neque ſecunda vice, unus plura quàm reliqui omnes habuerit, ex iis, qui ea vice plura habuerunt, ſcrutatores deſignabunt duos, qui plura quàm alii ſuffragia habuerint, & inter æqualia habentes, profeſſione antiquiores, & inter profeſſione, & ſuffragiis æquales, ætate majores, è quibus à toto Capitulo unus eligetur in hunc modum.

7. Affigentur ſchedulæ duæ, in quibus ſint ſcripta illorum duorum nomina vaſis duobus: alterum, inquam, nomen

nomen uni vaſi : alterum alteri, ita ut à ſuffragatoribus apertè videri, ac legi poſſint : & qui huic, vel illi ſuffragari voluerit, calculum album in vas eius mittet, nigrum verò in vas alterum, ubi eſt ſcriptum nomen eius, cui refragatur.

8. Ex his ergo duobus, qui hac tertia vice habuerit plura ſuffragia, quàm alter, erit canonicè electus: ſi verò uterque habeat æqualia, electus manebit, qui eſt profeſſione antiquior : ſi tamen ſint profeſſione pares, manebit electus, qui eſt ætate provectior, & ſtatim publicabitur : quod etiam in quavis alia electione ſervetur.

9. Declaramus quotieſcunque ad aliquid requiritur conſenſus, vel deciſio per ſecreta ſuffragia Conventus, examinatorum, Diſcretorum, Capituli cuiuſcunque, & ſimilium, ſenſum eſſe, requiri maiorem partem, niſi in noſtris Conſtitutionibus aliter exprimatur ; quod ſi aliquid Capitulo Generali, vel Provinciali occurrat, quod omninò videatur decidendum, & ſuffragia fuerint æqualia, tunc novem Patres loco antiquiores per ſecreta ſuffragia determinent, àn dubium ſit tale, quod indigeat aliqua deciſione : &, ſi decidendum eſſe affirment, iterum Capitulo proponatur, &, ſi ſecunda vice ſuffragia fuerint æqualia, Præſidens cum

quatuor Patribus primo loco ſedentibus, per ſecreta ſuffragia alterutram partem approbet.

10. Si qua verò controverſia circa ſuffragia orta fuerit, ſcrutatores, ac Definitores reliqui maiori ſuffragiorum parte illam definient, quorum deciſioni omnes obedient, ſub pœna privationis ab officiis, vocis etiam, & loci per tres annos ipſo facto incurrenda: ſi verò dubia circa alias materias oriantur, eorum deciſio ad totum Capitulum pertinebit per maiorem partem ſuffragiorum.

CAPUT VIII.

De fine Capituli, ac electionum confirmatione.

1. PERACTIS univerſis electionibus, Præſes ſcriptum edat præceptum, ut intra vigintiquatuor horarum ſpatium ad illum in Definitorio deferant Capituli Patres, ſi in recenter electis aliquod impedimentum canonicum, vel à noſtris Conſtitutionibus ortum cognoverint, propter quod non confirmari meruerint; ſi verò de aliquo culpæ hujuſmodi pœna plectendæ legitimè probentur, minimè confirmetur, ſed alius in ejus locum eligatur.

2. Ii tamen, quibus nulla objecta fuerit exceptio, per ſuffragia ſecreta

in

in Definitorio ad confirmationem approbentur, & confestim Præses confirmationem pronunciet juxta formam Cap. 3. num. 8. præscriptam: statimque omnes Capituli Patres professionem fidei à Concilio Tridentino præscriptam faciant, quam etiam Priores, cum eorum litteræ patentes in Capitulo conventuali leguntur, iisque obedientiæ obsequium præstatur, faciant.

3. Post hæc Præses Capituli Fratres ad legum custodiam, & exemplum subditorum hortabitur, & plenariam eis Indulgentiam, & ab omni ecclesiastica censura, iuxta privilegia, absolutionem concedet: Privilegiaque omnia omnium Religionum sibi à Sede Apostolica communicata acceptabit, in his, quæ Regulæ, aut Constitutionibus nostris non opponuntur, & ultimam Capitulo manum imponet. Tunc Patres se mutuò amanter amplectentur, in loca, quæ illis obtigerint, Apostolico more paulo post discessuri.

CAPUT IX.

De Visitatione Præpositi, & Definitorum, & Procuratoris Generalis.

1. ABSOLUTO Capitulo, Præpositus, & Definitores, qui ad

ad negotia expedienda tanquam Capituli totius appendix remanent, Secretarium Definitorii primùm eligent, qui juramentum fidelitatis Proprii muneris fungendi præstet, quo non solum sensum verborum, sed nec verbum aliquod addere, vel mutare valeat.

2. Deinde antequam Capitulares discedant, præcedentium Præpositi, ac Definitorum, & Procuratoris Generalis culpas, si quæ fuerint, inquirent in hunc modum.

3. Præpositus recenter electus, ac duo Definitores antiquiores, qui proximo triennio Definitores non fuerint, hanc visitationem efficient. Si verò Præpositus absit, tres antiquiores Definitores, è quibus nullus proximo triennio Definitor fuerit (quorum primus Præpositi ad eam inquisitionem vices gerat) de Præpositi, ac Definitorum, & Procuratoris Generalis præcedentium culpis inquirant.

4. Quod si tres Definitores novi non adsint, exclusis qui è proximo triennio resumpti sunt, Procurator Generalis, si recenter in id officium assumptus sit, & Patres alii primo loco ratione officii proprii & non ut substituti pro Definitore absente, sedentes in Capitulo ad numerum trium Visitantium implendum, ordine servato, subintrabunt.

5. Expleto

5. Expleto ergo numero, ut omnia rectius fiant, Visitatores scriptum præceptum Capituli Patribus imponent, ut intra præscriptum ab eis tempus, si quid norunt, deferant, aut se, nihil nosse coram eis affirment: & de culpis publicis, publicè coram toto Capitulo Præses admonitionem scriptam, & à Visitatoribus probatam legat, & pœnam eis, qui eam meruerint, inferant: alias verò culpas ipsi Visitato coram reliquis Visitatoribus tantùm dicat, & corripiat, ita tamen, ut si pœnam Definitorio reservatam meruerint, alii duo Patres loco antiquiores, ratione proprii officii, & non substituti adiungentur, qui Definitorium plenum constituentes causam decidant.

6. Quando Præpositus è Definitore, vel Procuratore Generali assumitur, culpæ illius non inquirantur, sed Definitores inter se conferent, de quibus illum admonere debeant, ex iis, quæ ipsi viderint, & audierint, & ei admonitionem scriptam legendam, & ponderandam in Definitorio reverenter tradent.

7. Cum autem de quovis fiet inquisitio, si is privationis officii, aut etiam severioris pœnæ reus fuerit, opinione duorum è tribus Visitantibus duo, alii ex Capitulo post illos proxime sedentes, secretò vocentur, & per suffragia maioris partis pœ-

nam

nam quam meruerint, imponant.

8. Denique Definitores residua negotia expedient.

CAPUT X.

De officio, & auctoritate Præpositi.

1. CONGREGATIO nostra ab uno duntaxat Superiore gubernetur, qui Congregationis Præpositus Generalis appellabitur, qui in Capitulo Generali eligetur, ac triennio tantùm durabit: nec reeligi poterit ad triennium immediatum: nec in eo Capitulo, in quo officio defungitur, eligi poterit in aliquod aliud officium: nec in Definitorio Generali, quod immediatè post Capitulum Generale celebratur; officioque fungetur usque electionem novi Præpositi, vel, eo absente usque ad electionem novi Definitoris Generalis.

2. Habebit authoritatem omnem, quæ sive ex iure, sive ex privilegiis totius Ordinis nostri, sive aliarum Religionum, * quarum privilegia à Sede Apostolica sibi fuerint communicata (dummodo nostris Constitutionibus non contradicant) Generali conceditur: poteritque socium sibi eligere, quem maluerit, qui tamen nec in Conventibus, neque in Provincialibus, neque in Generalibus Capitulis

tulis poterit ferre suffagium.

3. Semel in triennio unam Provinciam ultra montes, si per valetudinem licuerit, visitabit: ita ut successivè omnes Provinciæ ultra montes à Generalibus visitentur. Totam verò Congregationem per se ipsum non teneatur visitare, sed alicui Visitatori, vel Visitatoribus ex nostra Congregatione visitationem unius, vel plurium Conventuum, vel Provinciarum committere poterit, præscribetque illis authoritatem, qua functuri sunt, quemadmodum ei videbitur expedire: & ipse, vel ejus Visitatores, Provinciales, & Definitores Provinciales: Definitores autem Generales, & Procuratorèm Generalem, Præpositus visitare teneatur.

4. Poterit Præpositus per se solum negotia omnia Capitulo Generali, vel Definitorio Generali, vel Capitulo Provinciali, aut Definitorio provinciali non reservata expedire, & culpas omnes, usque ad graviorem inclusivè, punire. Poterit etiam Religiosos quoscunque mitterè ad missiones, seu ad novas Provincias erigendas, exceptis habentibus officia, quæ per nostras Constitutiones ambiri non possunt, nisi de illorum consensu. Religiosos autem, qui possunt habere vocem in Capitulo Provinciali mutare non poterit per sex menses ante Capitulum Provinciale à Conven-

ventibus, in quibus ſunt Conventuales, niſi vel ipſis Religioſis petentibus, & de conſenſu primi Definitoris Generalis, vel ipſis non petentibus, de conſenſu duorum Definitorum Generalium. Poterit Præpoſitus Generalis ſuſpendere ab officio juſtis de cauſis Priores, & Vicarios per annum, dummodo intra id tempus Capitulum Provinciale, vel Generale non celebretur.

5. In iis, quæ ad gubernationem in declarationibus deſcriptam ſpectant, Præpoſitus etiam cum Definitorum Generalium conſenſu, vel ſuffragiis diſpenſare non valeat: in iis verò, quæ ad mores attinent, neque per Conſtitutiones ei prohibentur, poterit diſpenſare; at hoc ex juſta cauſa, raroque efficiet: qua in re ſi deliquerit, in Capitulo Generali graviter puniatur.

6. Animadvertant autem diligenter Prælati Superiores propter bonum pacis, ne inferiorum Prælatorum officiis ſe ingerant: nam, & ſi Superioribus ea, quæ inferiorum ſunt, miniſteria ſubjacere, non dubitamus, ſimili tamen poteſtate eos uti non oportet, niſi ob inferiorum defectum, ſivè aliàs cum prudentiæ ratio, vel bonum regimen in caſu aliquo particulari id poſtulaverit. Caveant tamen inferiores omnes tàm ſubditi, quàm Prælati Superioribus, quocumque modo aliquid præcipientibus, contentiosè,

aut

aut irreverenter ſe opponere : ſed ſi opus fuerit, maximè in re gravi, de hoc cum omni reverentia, & humilitate eos admoneant, ſtatim verò teneantur Superiorum mandata, nulla interpoſita mora exequi; Poterunt tamen, negotio id exigente, Superioribus factum denunciare, ut ipſi de remedio provideant. Si quis verò inferiorum Prælatorum in hoc deliquiſſe videatur, graviter pro culpæ modo puniatur, & Religioſi noſtri ſuis Prælatis immediatis in omnibus obediant, neque ulla ratione ab obedientia præſtanda excuſentur: quod ſi quis facere noluerit prætextu alicuius licentiæ habitæ à Superiore, niſi illam habeat in ſcriptis, Superiorique manifeſtet, nulla ei fides adhibeatur: quod totum intelligendum reſpectivè eſt de Priore reſpectu Magiſtri novitiorum, & Suppriorum.

7. In eventibus aliis non frequenter occurrentibus, tàm à Præpoſito, quàm ab aliis quibuſvis Superioribus, lex ad planiorem verborum ſenſum ſervetur, niſi conſtet ejus obſervationem aliquando tendere contra id bonum, ad quod ea lex condita fuerit, tunc enim, duntaxat epicheiæ, ſeù æquitati locus eſt. Si autem dubium oriatur, an contra legis mentem obſervatio tendat, & an æquitati locus ſit, eo ipſo, vel ad Superiorem recurratur, vel ad verbum lex ſervetur.

8. Præpoſitus officio defunctus poterit

rit sibi in tota Congregatione eligere Monasterium, quod libuerit.

CAPUT XI.

De officio Definitorum Generalium.

1. VT Præpositus Congregationem prudentiùs moderari possit quatuor Definitores viros prudentia, experientia, doctrina, & sanctitate præstantes adiutores habebit, qui ei de Congregationis gubernatione consulere, ac universim de omni re bono communi opportuna prudenter illum admonere, & ne laboribus, & curis conficiatur, aut medium virtutis excedat, curam gerere valeant: quibus in rebus, etiam non rogati, ex officio Præpositum hortari debebunt, cum id eis ratio, charitasque suggesserit. Horum opera, & consilio libenter utatur Præpositus, & ab eorum sententia nè facilè discedat.

2. Definitorum Generalium officium triennium durabit, quousque novi Definitores Generales creentur; & semper Patres ij vocabuntur Definitores, & Præposito proximi assidebunt: & tàm ipsis, quàm Procuratori Generali, & Provincialibus, ac Prioribus hospitibus, etiam præsente Priore, omnes assurgent: habebuntque authoritatem in foro conscientiæ parem ei, quam habent

Priores, & quamlibet aliam, quæ per privilegia eis est concessa.

3. In omnibus etiam locis, ubi Prior abfuerit, præsidebunt, culpasque in Capitulo & Refectorio, absente Priore, corripient, & utrobique exhortationem facient, si fuerit Conventuales: non autem possint domo exire, nisi cum socio à Superiore domus designato, & de licentia Præpositi, vel Vicarii Generalis, si fuerint in illa domo.

4. In eo loco, ubi quis Definitor Generalis morabitur, enitetur in communis vitæ actibus bonum exemplum aliis præbere, in quo si defecerit, Prior illum reverenter, & comiter secretò admoneat, &, si nihil se prodesse viderit, aut speraverit, Præpositum certiorem faciat, à quo de aliorum Definitorum Generalium consensu, usque ad depositionem ab officio, is Definitor puniatur.

5. Definitores Generales, sine Præpositi, aliorumve Prælatorum scitu, litteras ad quemvis Religiosum, vel sæcularem dare, & ab eis accipere poterunt: & similiter quilibet è nostris fratribus ad quemvis Definitorem Generalem, quovis tempore litteras dare, & ab eo accipere valebit; quamobrem tàm Præpositus, quàm Definitores Generales sigillis propriis utentur.

6. Sigillum Præpositi sit imago Beatæ Virginis, cum effigie dulcissimi Jesu ad lævam, dextera Virginis porrecta

supra

ſupra ſcutum Ordinis. Ad epiſtolas verò utatur ſigillo Ordinis cum inſcriptione: Præpoſitus generalis &c. Definitorum vero Generalium ſit ſcutum idem cum inſcriptione: Definitor. Procuratoris Generalis idem ſcutum cum inſcriptione: Procurator Generalis. Provincialis ſigillum ad patentes fiat cum imagine Sancti Titularis Provinciæ, & cum inſcriptione: Provincialis Provinciæ &c. Ad epiſtolas verò ſigillum Ordinis cum inſcriptione: Provincialis &c. Prioris ſigillum ſit ſcutum Ordinis cum inſcriptione. Prior Conventus &c. Definitores autem provinciales habebunt ſigillum parvum ad medietatem ſigilli Prioris conventualis, in quo ſint inſignia ſuæ Provinciæ cum Inſcriptione: Definitor &c. Ordinamus autem, ut Religionis noſtræ ſtemma nullo modo immutetur, vel alteretur, ſed omnes eo uniformiter utantur.

CAPUT XII.

De Definitorio generali, & ejus authoritate.

1. EX Præpoſito, & quatuor Definitoribus generalibus componitur inter nos Definitorium generale, quod poſt Capitulum Generale primam in Congregatione authoritatem ha-

beat, quam etiam Patri noſtro Præpoſito univerſaliter committere non poſſit, niſi pro aliis Regnis extra Italiam, cum ad illa pergit: bene tamen ad aliquem ſpecialem eventum, & tunc per ſecreta ſuffragia, ſi Definitorium facilè congregare poſſit: ſin minus per litteras, & in proximo Definitorio teneatur Præpoſitus dicere, an uſus fuerit tunc authoritate illi conceſſa; & in quibus caſibus: & ſcribatur in libro Definitorii tàm authoritas illi conceſſa, quàm illius executio, vel non uſus, teneanturque Definitores hoc petere in primo Definitorio.

2. Ad Definitorium generale ſpectat decidere dubia circa Ordinarium, Manuale, Inſtructiones, & Formularium, &, ſi expedire videbitur, aliqua etiam in iis mutare, diminuere, vel addere; dubia etiam circa noſtras Conſtitutiones exorta declarare, & condere acta toti Religioni uſque ad Capitulum ſequens, dummodo hæc omnia non fiant in materia gubernationis, nec contradicant Conſtitutionibus, aut Regulæ noſtræ, ac laudabili Ordinis noſtri conſuetudini. Nolumus autem impedire recurſum ad Præpoſitum generalem, qui poteſt facere id, quod eſt de Jure, & non contradicit Conſtitutionibus: Ad Definitorium quoque generale ſpectat, renunciationem alicujus officii, in quod à Capitulo generali aliquis eligitur, admittere, etiam Capitulo

ge-

generali durante: Definitorium quoque generalium, & Procuratoris Generalis renunciationem, etiam extra Capitulum, acceptare: & in idem officium, nempe Definitorium Generalium, seu Procuratoris Generalis vacans, quousque Capitulum Generale celebretur, aliquem sufficere, qui si fuerit Definitor, ultimum inter alios locum habebit: novum quoque Definitorem eligere, cùm per mortem Præpositi Generalis primus Definitor est Vicarius Generalis: renuntiationem Præpositi Generalis extra Capitulum Generale admittere, cum tribus è quatuor partibus suffragiorum; nam intra Capitulum ad majorem ejusdem Capituli partem pertinet: renuntiationem quoque Provincialium acceptare, quando illam faciunt extra Capitulum Provinciale; tempore enim, quo Capitulum, quodcumque sit, celebratur, ad ipsum pertinebit acceptare renuntiationem Provincialis: eligere, & admittere Conventus, quorum numerus à Capitulo Generali præscriptus fuerit: ante triennium expletum, ob causam urgentem, Capitulum Generale convocare: missiones ad infideles facere: Ius patronatûs honorificum in casibus à Jure permissis concedere: Fundationes Monialium admittere, vel deserere, servatis servandis: ab uno loco in alium earum Monasteria, etiam intra idem oppidum transferre, Monialesque

in casibus à Iure permissis, ab uno Monasterio in aliud mutare * de consensu Sanctissimi : ab officio Definitorem aliquem Generalem, Provincialem, Procuratorem Generalem, Definitorem Provincialem deponere, vel suspendere: bona immobilia omnia, vel mobilia notabilis pretii, juxta Summorum Pontificum privilegia, * ac cum licentia S. Congregationis Concilii, ab uno in aliud Monasterium transferre de consensu Conventûs : cum uno, aut pluribus Conventibus, in iis, quæ ad mores attinent, ultra tres menses dispensare, non tamen ultra annum, pro unaquaque vice: & alia, quæ in Constitutionibus, diversis in locis, Definitorio Generali reservantur. Ad singula verò ex dictis decidenda Definitorii Generalis partem majorem, per secreta suffragia, concurrere volumus, nisi in aliquo casu major numerus suffragiorum à Constitutionibus requiratur.

3. Ad hæc decidenda, inspecto Congregationis statu, & horum casuum probabili eventu, Definitorium Generale ad minus bis in anno celebretur, tempore, ab eodem Definitorio ante Capituli generalis dissolutionem, ut omnibus Capitularibus innotescat, præscribendo: caveatque diligenter Præpositus, ne tempore Definitorii Generalis alibi Definitores occupet; qui, ut faciliùs congregentur,

in

in Conventibus sibi invicem, & Præposito vicinoribus, quoad fieri possit; morabuntur. Quòd si proximo die ad Definitorium bis in anno, tempore post Capitulum Generale celebrandum assignato, non accesserint, ultra octo dies non expectentur, nisi per vota secreta in aliquo casu gravi ad breve tempus, utpotè octo, vel quindecim dies, prorogandum conseatur, dummodò non plures, quàm duo absint; & in uno Definitorio antecedenti, ex duobus assignatis à Definitorio Generali, determinetur locus pro sequenti Definitorio, ut omnibus Definitoribus, & Provinciis innotescat. Sed Procurator Generalis, vel eo absente alius, seu alii, si duo defuerint Definitores, eorum loco substituantur, à reliquis per secreta suffragia, ad numerum quinarium implendum, electi. Poterit autem Præpositus ultra tempora prædicta Definitorium congregare, quoties in Domino judicaverit expedire: postulantibus autem tribus è quatuor Definitoribus, inter quos sit primus, illud teneatur convocare: quod si non fecerit, Definitores Generales congregentur, si ita communi bono expedire judicaverint: &, si Præpositus, aut aliquis Definitor Generalis interesse noluerit, elapsis octo diebus, à tempore per tres Definitores præfixo, ad Definitorium Generale celebrandum tempestivè per litteras

vocatus, servato iter agendi modo, qui deceat nostrum institutum, si non accedat, celebretur Definitorium; in quo Procurator Generalis subintrabit, & simul cum aliis Definitoribus eligent ex dignioribus alios, qui pro absentibus subintrent, qui ultimo loco sedebunt: iis verò deficientibus, aut ex quacumque causa impeditis, seu venire recusantibus, à cæteris Definitoribus Generalibus eligantur Definitores, qui vices absentium suppleant, qui in illo tantùm Definitorio vocem habebunt; ita ut semper in Definitorio quinque cum voto decisivo reperiantur. Quando autem aliquis Definitor obierit, vel ejus officium quocumque modo vacaverit, à reliquis Definitoribus eligatur, qui subintret, ad numerum quinarium implendum pro electione Definitoris; ita, ut semper ad hanc electionem requiratur Definitorium cum quinque suffragiis: quod semper, tam in eventu prædicto, quàm in omni alio observandum est, quoties Definitorium congregari debet, & numerus quinarius non impletur.

4. Nullus Definitor Generalis, nisi legitimè impeditus, & de licentia Definitorii, quam, ipso petente, Præpositus, de majoris partis reliquorum Definitorum consensu per litteras accepto, dare possit, sub pœna depositionis, absit, quando Definitorium

Ge-

Generale congregatur: neque Præpositus cum consensu Definitorum hanc veniam, nisi uni Definitori concedere possit.

5. Proponet in Definitorio Præpositus, seu Præsidens, quæ dicenda occurrunt. Si verò aliqua ipse prætermiserit, vel quavis de causa proponenda videantur, quilibet Definitor, sentiente alio ex Definitoribus, proponi debere, petitâ veniâ, poterit proponere ut decidantur, ex quibus, qui alium loco præcedit dubia proponet. Ut verò maturiùs omnia examinentur, graviora dubia ab una in aliam sessionem proponantur. Secretarius Definitorii Generalis juramentum fidelitatis proprii muneris fungendi præstet, quemadmodum suprà Cap. 9. num. 1. dictum est.

6. Quidquid verò in Definitorio Generali juxta Constitutiones definitum fuerit, Pater Præpositus exequetur, juxta mentem Definitorii, quoad tempus, modum, & alias circumstantias: quod nisi præstiterit, primus Definitor in Definitorio, aut seorsim coram alio Definitore, si adesse possit, illum admodum reverenter admoneat; cui admonitioni, nisi paruerit, in Generali Capitulo suæ correptionis tempore, pro culpæ modo, puniatur.

7. Quot verò diebus durare debet Definitorium, & quoties per singulos

dies congregari, juxta qualitatem, & quantitatem negotiorum occurrentium, Definitorium tunc determinabit per majorem suffragiorum partem: curabit autem, ne ultra octo dies protendatur.

8. Strictissimo secreti sigillo omnia negotia Definitorii ab ipsis Definitoribus sileantur: quòd si quis secretum prodiderit, à Definitorio pro culpæ modo puniatur: & ut secretum fideliter servetur, postquam Definitores electi fuerint, Præpositus, ipsique Definitores jurent secretum eorum, quæ in Definitorio geruntur; quod tunc obligabit, cum major Definitorii pars statuerit, juramentum in illo eventu debere observari.

9. Si Præpositus (quod absit) culpam eam admiserit, ob quam juxta nostras Constitutiones ab officio sit deponendus; primus Definitor, sub pœna privationis vocis per biennium, congregabit Patres eo modo, quo dictum est in casu renuntiationis; collatoque consilio, septem illi Patres culpas expendant. Quod si è tribus suffragiorum partibus duæ concurrent, sententia in eum depositionis, suspensionisve, feratur: moxque nullâ interjectâ morâ, Vicarius Generalis per dictorum septem Patrum suffragia eligetur, cui omnes obsequium obedientiæ præstabunt: acersitoque confestim Præposito, qui depositus, aut suspensus

sus fuerit, sententia ei manifestabitur: quam ille æquanimiter ferens, Vicario electo, sicut alii Patres, se subjiciet. Si tamen Præpositus non ita severè puniri debeat, septem illi Patres deliberent, quâ pœnâ plectendus sit; quam clementer irrogabunt.

10. Omnia verò, quæ in nostris Constitutionibus primo Definitori committuntur, secundus eo absente, aut deficiente, præstabit; & sic tertius, & quartus, etiam quoad officium Vicarii Generalis, in casibus tantummodò Cap. 4. hujus tertiæ Partis notatis.

11. Cùm Pater noster Præpositus est extra Italiam, Vicarius Generalis in aliquo casu gravi, propter negotia urgentia, quæ usque ad reditum ipsius Patris nostri Præpositi differri non possunt, consentientibus cum eo reliquis omnibus Definitoribus per secreta suffragia, poterit Definitorium Generale canonicè congregare, in quo substituatur Pater Procurator Generalis, vel eo absente alius, ut numerus quinarius impleatur: in quo Definitorio non possint agere de Fundationibus, nec de expulsione Religiosorum, nec de depositione alicujus Prælati, nec de acceptatione renuntiationis, nec de derelictione alicujus Monasterii, neque pro prædictis se congregare; sed tantùm de negotiis, pro quibus Definitorium congrega-

tum est; nec aliud quidpiam in eo Definitorio agatur.

CAPUT XIII.

De Procuratoris Generalis officio.

1. PRocuratoris Generalis est Congregationis expedire negotia, pro modo facultatis ei concessæ: cujus officium triennium non excedet; ante quod elapsum, si culpas depositione dignas commiserit, deponi poterit.

2. Peracto triennio ad idem officium poterit reassumi, si eo rectè functus fuerit.

3. In litteris dandis, & recipiendis eâdem, quâ Definitores, facultate gaudebit: domo autem exire non possit, nisi cum socio à Superiore domûs designato, & de licentia Præpositi Generalis, vel Vicarii Generalis, si fuerint in illa domo.

4. Præcipimus Procuratori Generali, sub pœna privationis ab officio, & aliis pœnis à Definitorio imponendis, ne à Principibus sæcularibus favorem contra Congregationis bonum, vel statuta quærat.

5. Præcipimus item, ne petat, seu quærat, Congregationis nomine, litteras ullas Apostolicas, ad immutandum quovis modo gubernationis modum, vel Constitutionem ullam, nisi de speciali

ciali Congregationis commissione, per Capitulum Generale facta, sub pœna depositionis, aut alia graviore à Definitorio imponenda.

6. Ejusdem Procuratoris Generalis officium erit, Privilegia, Brevia, litteras Principum, cæteraque omnia, etiam temporalia, pro expeditione Missionum procurare: cum iis, qui peregrinantur, continuè per litteras agere, & earum, quas ab ipsis recipit, Præposito, Conventui Missionum, & aliis de venia Præpositi, transsumpta mittere.

CAPUT XIV.

De erectione, & gubernatione Provinciarum.

1. CApituli Generalis est, Provincias erigere, ubi numerus Conventuum id exigere videbitur: quod arbitrio Capituli Generalis remittitur per majorem partem suffragiorum

2. Si verò numerus Conventuum ita creverit, ut ab uno Provinciali difficulter gubernari possit, Capitulum Generale per majorem suffragiorum partem, numerum competentem uni Provinciæ assignabit; reliquos verò Conventus dividet, Provinciamque aliam eriget, si ei ita expedire videbitur: si autem pauciores sint, Præpositus Generalis Vicarium eis præficiet, donec Provincia formari possit. Prio-

res, & Socii eligant Procuratorem ad Capitulum Generale venturum, qui feret ibi suffragium: in hac verò electione prædictus Vicarius vocem activam non habebit, nisi fuerit Prior.

3. Si numerus Conventuum Provinciæ alicujus diminutus fuerit ob bella, & varios alios casus; Capitulum Generale, per majorem suffragiorum partem, poterit Conventus residuos Provinciæ diminutæ, alteri Provinciæ addere, atque ita ex duabus Provinciis unam componere, quemadmodum ei videbitur expedire: poterit quoque Præpositus Vicarium eis sic remanentibus præficere; quo in casu Priores, & Socii Procuratorem eligent, qui in Capitulo Generali vocem habebit, ut in numero præcedenti dictum est. In omnibus autem Conventibus, qui in Provinciam redacti non sunt, Priores, & Suppriores per vota Conventualium eligentur, & sine alia confirmatione officia sua exequentur. Quæ omnia officia per triennium durabunt, nisi contingat fieri erectionem Provinciæ; tunc enim omnia officia vacabunt in illo Capitulo Generali.

4. Præpositus Generalis sollicitè curet, ut Provinciæ remotæ cum Provincia Romana singularis amoris affectu conjunctæ sint, atque ad hunc finem ex Provinciis remotis juniores Fratres selectos ad Italiam vocet, ut

do.

doctrinâ & disciplinâ monasticâ perfectiùs instructi, ad sua loca reversi, alios instruant. Mittet quoque ad partes illas ex Italia Fratres vitæ integritate, & doctrinâ insignes, ut his officiis mutuæ charitatis affectus diutiùs perseveret.

5. Omnibus Religiosis nostris, tam Prælatis, quàm subditis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibemus, ne quis divisionem Congregationis nostræ, vel separationem alicujus Provinciæ, vel Conventûs, ab eadem nostra Congregatione, quoquo pacto extra Congregationem prætendat, aut procuret.

CAPUT XV.

De Capitulo Provinciali.

1. TErtio quoque anno, & anno uno ante Capitulum Generale proximè subsequens, à Feria sexta ante Dominicam tertiam post Pascha inclusivè, usque ad Dominicam quartam exclusivè, in Conventu per Definitorium Provinciale designato, qui à sæcularium strepitu, si fieri possit, remotus sit, Capitulum Provinciale celebretur; ad quod præter Gremiales, & Fratres, Patrum obsequio necessarios, alii non accedent, & ut omnibus Capituli tempus, & locus innotescat, ante discessum è præcedenti

Capitulo,

Capitulo, sequentis Capituli locus designetur.

2. Ferent ibi suffragia Pater Provincialis, tam de novo electus, quàm officio functus; Definitores Provinciales, tam officio functi, quàm recenter electi; Priores, vel Vicarii Conventuum canonicè electi, eorumque socii, à quorum Professione quinque integri anni transierint, & nullus alius, etiam Pater Præpositus, si fortè in eo loco fuerit; omnesque vocem habentes, sine ulla nova evocatione ad destinatum diem ad Conventum designatum conveniant.

3. Eligi poterunt ex tota Provincia quicumque Sacerdotes Professi Conventuales illius, etiam si extra illam existant, à Jure vel per nostras Constitutiones voce passivâ non privati, & qualitatibus, quæ ad unumquodque officium suis in locis notantur, affecti; præterquam semel à nobis expulsi, apostatæ, & qui à sententia Congregationis ad Superiorem quempiam extra Congregationem, * præterquam ad præscriptum Decreti Clementis VIII. appellarunt, aliique suis in locis indicati, & è Conventibus studiorum, qui cursum nondum perfecerunt, qui usque ad annum a cursu finito expletum in aliquod officium eligi non poterunt, nisi justis de caussis cum uno, vel duobus tantùm ex iis, qui studiorum cursum perfecerint, Defini-

finitorium Provinciale dispensaverit.

4. Ipso mane incipiendi Capituli in omnibus Provinciæ Conventibus canetur Missa de Spiritu sancto, cum Litania; iisque diebus, quibus Capitulum celebratur, fiat oratio, & alii actus pii ad Dominum exorandum pro fœlici successu Capituli: & post horam ad initium Capituli præfixam absentes ulteriùs non expectentur, dempto Patre Provinciali, vel Vicario Provinciali canonicè electo, vel eo qui Capitulo præsidere debet, juxta nostras Constitutiones Cap 3. num 10. qui expectandus erit per octo dies tantùm, nisi major pars Patrum Capituli, qui jam ad destinatum Conventum pervenerint, judicaverint intra idem tempus decenter accedere non posse. Peractâ ergò Missâ de Spiritu sancto, Capituli Patres singuli, Sacro privatim facto, in Chorum conveniant: deinde signo Capituli dato, è Choro Hymnum Veni Creator Spiritus canentes, Capituli locum anteà modestè præparatum ingrediantur; quò simul ac pervenerint, coram effigie Crucifixi genuflectant, Præsesque subjungat Orationem: Deus qui corda fidelium, & Actiones nostras: deique statim surgendi signum; omnesque sedebunt.

5. Primo loco sedebit Provincialis, secundo Definitores, donec novus Provincialis & Definitores eligantur: qui statim, ac electi fuerint, ita sedebunt.

bunt, ut Provincialis recenter electus primo loco, Provincialis officio functus secundo, Definitores novi tertio juxta ordinem suarum electionum sedeant, quarto loco Definitores praecedentes, quinto Priores, seu Vicarii, juxta ordinem antiquitatis Conventuum, sexto socii Priorum, & Vicariorum eodem ordine antiquitatis; ita ut ad dexteram Praelati, ad sinistram socii sedeant: & extra locum Capituli iis diebus ante omnes alios Conventuales sedebunt, & praesidebunt, sed gubernatio domûs Priori relinquatur.

6. Mox Provincialis, & Definitores Secretarium ex ipsis Capituli Patribus eligent, qui juramentum fidelitatis praestet, sicut de Secretario Capituli Generalis Cap. 2. num. 3 hâc tertiâ Parte dictum est. Deinde Provincialis, seu Praesidens, & Definitores sociorum litteras explorabunt, ut constet, an fuerint canonicè electi: quòd, si aliqua difficultas oriatur circa explorationem litterarum sociorum, Gremiales Capituli per majorem partem suffragiorum rem decidant.

7. Facto litterarum examine, legatur sequens praeceptum: In virtute sanctae obedientiae, & sub praecepto omnibus suffragaturis praecipimus, ut, si quis aliquem è praesentibus ferendi suffragii jure carere noverit, hodie id aperiat in Definitorio; & Definitorium,

rium, antequam ad electiones procedatur, rem definiat. Et si aliquid delatum fuerit contra Provincialem, vel Definitores Provinciales, & tribus ex quatuor è Definitorio visum fuerit, rem esse animadversione dignam; secreto vocentur tres loco antiquiores, qui cum aliis dictis quatuor, re maturè consideratâ, per vota secreta rem definiant, ne tempus electionum prorogetur.

8. Deinde omnes Gremiales Capituli Provincialis juramentum secreti præstent: quod tunc obligabit, cùm major Definitorii pars statuerit juramentum in illo eventu debere observari. Postmodum attentè legantur ex Constitutionibus nostris duo capita de electione Provincialis, ac de ejus officio, & numerus secundus Cap. 36. tertiæ Partis, qui incipit: Præter ea, quæ dicta sunt, &c. ne quid memoriâ excidat: & Præses, vel cui rem ille commiserit, brevem concionem habeat de bona electione facienda; & rei gravitatem, sine ullius nomine expresso, vel etiam indicato, ponderet.

9. His absolutis, Præses diem proximè sequentem designabit, ad Provincialem, & Definitores eligendos, monebitque Patres, ut orationi, & rerum considerationi vacent; neque domo exeant, donec Capitulum sit absolutum.

CAPUT XVI.

De Provincialis, & Definitorum Provincialium electione.

1. PRimo manè diei ſequentis electores ſinguli Miſſam de Spiritu ſancto privatim, Conventus verò ſolemnem faciant pro bono exitu electionum: Officioque abſoluto, Patres in Chorum conveniant, ſignoque campanulæ dato, Hymnum Veni creator Spiritus canentes, in Capituli locum procedant; ubi per horam dimidiam in oratione quieſcant: quâ peractâ: Præſes ſubdat Antiphonam: Sub tuum præſidium, & Orationem: Deus qui corda fidelium; moxque omnibus Fratribus in Choro, vel Oratorio intereà orationi vacantibus, Patres ſedeant.

2. Excluſis deinde, ſi qui fuerint, voce carentibus, qui poſt Provincialem, vel Præſidentem primus ſedet, illum, ad cautelam, ab omni abſolvat cenſura, & in irregularitate diſpenſet, * ſervato tenore Apoſtolicarum Conſtitutionum: idemque Provincialis, vel Præſidens, erga omnes Patres Capituli faciat, ut electiones canonice fiant.

3. Eligi poterit Provincialis ex Conventualibus tantùm uniuſcujuſque Provinciæ, etiamſi extra Provinciam exiſtant,

existant, quicumque maximè dignus, in quo nullus sit ex defectibus Cap. 1. hujus tertiæ Partis num. 3. enumeratis. At præterea eligi non poterit, qui sexennium à suscepto Sacerdotii ordine, & octo annos ab emissa Professione in nostra Discalceatorum Religione, & trigesimum quintum ætatis annum non compleverit; & qui ob adversam valetudinem ab esu carnium abstinere, & Chori, ac Refectorii actibus ordinariè interesse non valuerit, nisi ætatis defectus singulari prudentiâ, & virtute compensetur. Nunquam tamen Provincialis reeligi poterit ad triennium immediatum, nec eligi ad aliquod officium in eo Capitulo, in quo officio defungitur, nec in Definitorio, quod immediatè post Capitulum Provinciale celebratur. Eligi quoque non poterit, qui actu est Definitor Generalis, vel Procurator Generalis.

4. Ut autem Provincialis electio, sicut, & omnes aliæ in Capitulo Provinciali faciendæ, puriùs fiant; in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, omnibus Religiosis nostris, tam subditis, quàm Prælatis, præcipimus, ut nullùs in tota Congregatione unquam possit directè, vel indirectè, per se, vel per alium, procurare officium aliquod pro Religioso nostro, ex his, quæ per nostras Constitutiones ambiri non possunt; & sub eodem præ-

cepto

cepto omnibus ſuffragaturis præcipimus, ut unuſquiſque illorum , tam in hac , quàm in omni alia electione in Capitulo Provinciali per ſecreta ſuffragia facienda , ſuffragium ferat pro eo , quem unicuique officio coram Deo judicaverit magis idoneum ; ac neget ſuffragium ei , quem noverit directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium , prætendere ad aliquam Prælationem , vel officium promoveri , vel alio modo quartum votum de non ambiendo , vel præceptum de non prætendendo pro alio , juxta noſtras Conſtitutiones violaverit ; idemque intelligi volumus in omnibus electionibus officiorum , ubicumque fiant, quæ per quartum votum ambiri non poſſunt.

5. Patres ergò ſtatim ad electionem Provincialis procedant , ferentque ſuffragia juxta modum Cap. 7. hujus tertiæ Partis præſcriptum ; & Provincialis, vel Præſidens, & qui ei proximi ſedent, ſuffragia ſcrutabuntur.

6. Poſt ſcrutinium, ſtatim ac electio canonica facta eſt publicetur Factâ verò publicatione, ſi Provincialis recenter electus adſit, qui primus poſt illum ſedet, eum ſtatim confirmet, juxta formam in hac tertia Parte Capit. 8. traditam.

7. Mox pro gratiarum actione, Hymnus Te Deum cantetur : Provincialiſque in Eccleſiam , aut Chorum deducatur ; ubi ejus manum ſinguli

genibus

genibus flexis suppliciter osculantes, ejus obedientiæ se tradent, eo modo, quo de Præposito noviter electo in Manuali describitur.

8. Si Provincialis electus absit, per octo dies à datis litteris computandos expectetur, si major Capituli pars intra id tempus accedere posse judicet; observato iter faciendi modo, qui deceat nostrum Institutum: quo in eventu statim per litteras moneatur, & interim à Capituli celebratione Patres abstineant. Quòd si major pars censeat prædicto iter faciendi modo accedere non posse, non expectetur: sed statim ipsâmet die, vel proximè sequenti, Provinciali præcedentis triennii, si adfuerit, sin minùs, antiquiore Definitore præsidente, ad reliquos Capituli actus procedatur. Similiter si quacumque ex causa, etiamsi intra octo dies posset accedere, non accedat; prædictis octo diebus elapsis, ad reliquos Capituli actus procedatur.

9. Hâc ipsâ die eligentur quatuor Definitores ex Conventualibus tantùm illius Provinciæ, etiamsi extra Provinciam existant, qui ex nullo defectuum Cap. 1. hujus tertiæ Partis designatorum sint inhabiles, & qui prudentiâ & boni communis zelo præstent, annumque trigesimum ætatis, & à Professione sextum attigerint; quæ conditiones requiruntur etiam in eorum substitutis; eligenturque singuli seor-

seorsim, ordine servato. Non poterunt reeligi, nisi intra triennium, excepto uno, qui solus resumi potest ad aliud triennium immediatum tantùm, ex Definitoribus triennii præcedentis, qui scilicet fuerint electi in Capitulo Provinciali triennali, vel in Definitorio immediate post dictum Capitulum Provinciale celebrato. Quòd si quis Definitor durante Capitulo moriatur, eligatur alius ex tota Provincia ab eodem Capitulo, ultimo loco sessurus. Si verò is, aut aliusquicumque Definitor ex recenter electis absit, vel quovis modo officio fungi nequeat; ex Definitoribus officio functis, & aliis in eo loco suffragia ferentibus, eligatur à Provinciali, vel Vicario Provinciali canonicè electo, & reliquis Definitoribus tantùm, qui absentis vices suppleat, & ultimo loco inter Definitores sedeat: idemque faciendum est ob absentiam Provincialis, vel Vicarii Provincialis recenter electi, si Definitor aliquis Capitulo præsideat. Si verò intra triennium extra Capitulum obeat, deponatur, vel quovis modo ejus officium vacet; à Provinciali, & reliquis Definitoribus in primo Definitorio eligatur, qui subintret, ad numerum quinarium implendum pro electione Definitoris, & eligatur Definitor ex Conventualibus totius Provinciæ, etiamsi extra Provinciam existat, ita ut semper ad hanc

ele-

electionem requiratur Definitorium cum quinque suffragiis : qui Definitor electus si absit , substitutus remaneat in Definitorio , ad Definitorium illud celebrandum . In his electionibus qui præsidet , duoque , qui ei proximi sedent , suffragia scrutabuntur , juxta modum in Cap. 7. præscriptum . Et Præses electos Definitores genuflexos statim omnes simul confirmabit : quòd si aliquis Definitor præsidere debeat, statim ipse solus confirmetur .

10 Si Provincialis primo, vel secundo anno sui officii moriatur , vel quomodocumque extra tempus , quo Capitulum Generale celebratur , vacet , primus Definitor Provincialis Capitulum statim convocet, ad Vicarium Provincialem eligendum , qui ad Capitulum Generale conveniat . Quod Capitulum Provinciale celebrabitur in eo Conventu , qui à Definitorio Provinciali fuerit designatus , ad Capitulum Provinciale futurum celebrandum . Quòd si non fuerit assignatus , fiet in Conventu , ubi præcedens Capitulum celebratum fuit : neque aliud quidpiam in eo Capitulo agatur ; nisi aliqua electio fortuitò contingat , vel aliud necessitas requirat : tunc enim Capitulum Provinciale omnia ea expediet , etiamsi aliàs ad solum Definitorium Provinciale pertinerent : quod denique observandum est , quando Capitulum congregatur . Si Provin-

vincialis tertio anno obierit, primus Definitor Provincialis, &, eo moriente, secundus, tertius, & quartus Provinciæ præsidebunt, & ad Capitulum Generale, si aliquod celebrari contigerit, convenient, ac ibi vocem habebunt.

CAPUT XVII.

De Sociis ituris ad Capitulum Generale, & Priorum electione.

1. POst Definitorum Provincialium electionem, creabuntur ex tota Provincia, etiamsi extra Provinciam existant, duo socii Provincialis, ituri cum eo ad Capitulum Generale, qui sint Sacerdotes, nullo defectum Cap. 1. hujus tertiæ Partis notati, & qui à Professione sex annos, & ætatis triginta expleverint: quæ conditiones etiam requirantur in eorum substitutis: in qua electione Provincialis non feret suffragium, sed cum duobus, qui ei proximi sedent, suffragia scrutabitur. Socii litteras suæ electionis ab electoribus subscriptas, & sigillo Provinciæ munitas, ferent in Capitulum Generale. Litterarum formula hæc est: Reverendi admodum Patres, Cùm R. P. Fr. N. hujus Provinciæ nostræ N. Provincialis ad Generale Capitulum, Romæ, Genuæ, &c. anno sequenti N. mense N. celebrandum, ex obedientia

pro-

profecturus esset, R. Pater Fr. N. primâ, vel secundâ, vel tertiâ vice, cum tot vocibus, ex tot, Capitulum Provinciale, tali loco celebratum, conficientibus, in primum, vel secundum ejus socium, vel in substitutum socii deficientis, sive aliàs legitimè impediti, canonicè à nobis, qui in prædicto Capitulo vocem habemus, electus fuit; cui legitimè juxta nostras Constitutiones electo, omnem eam auctoritatem concedimus, quâ possemus ritè fungi, si nos omnes in Capitulum Generale conveniremus: &, ut tam ipse, quàm omnes alii Patres prædictum Capitulum constituentes, quæ ad Dei gloriam, & Congregationis nostræ commune bonum, opportuniora sunt, unanimes decernant, divinam bonitatem enixè deprecamur. In quorum fidem præsentes dedimus prædictæ Provinciæ sigillo munitas, nostrisque nominibus subscriptas, Dat. N. RR. VV. humiles filii. Fr. N. Provincialis. Fr. N. Definitor, F. N. Prior Conventûs N. Fr. N. Socius Conventûs N. Ferent quoque Socii litteras eorum, qui eas ad Capitulum Generale dare voluerint, & catalogum Fratrum singulorum Conventuum suæ Provinciæ, & memoriam Religiosorum, qui in illo triennio in sua Provincia decesserunt; quæ memoria in Capitulo Generali legatur: & negotia ad suam Provinciam attinentia apud Patres Capituli

Generalis diligenter gerant. Non tamen habebunt vocem in Capitulo Provinciali, in quo eliguntur, nisi aliunde illam habeant; puta, si sit aliquis ex ipsis Capituli Provincialis Patribus, ibi existentibus. Eligantur quoque in Capitulo Provinciali duo substituti, qui ejus vices suppleant, qui morte, vel aliquâ aliâ causâ impeditus, ad Capitulum Generale non possit accedere; ita quòd loco ejus, qui quacumque ex causa Capitulo Generali non intersit, primus substitutus succedat: si ambo socii desint, uterque substitutus eorum vices suppleat. Volumus autem, ut officia sociorum durent per triennium; ita ut, si quacumque de causa congregetur Capitulum Generale intermedium, conveniant ad illud, & ibi vocem habeant; quod etiam de substitutis respectivè intelligendum est.

2. Eligentur posteà Priores ordinatè, & antè omnes eligatur Prior Novitiatûs, deinde Prior Eremi, cæteri juxta Conventuum antiquitatem. Eligentur autem quicumque idonei ex tota Provincia, etiamsi extra Provinciam existant, prædictis in Cap. 1. hujus tertiæ Partis defectibus minimè notati, & qui trigesimum ætatis annum, & Professionis sextum expleverint; nisi ætatis, & antiquitatis defectus, vitæ integritate, & prudentiâ compensetur: tunc enim cum uno, vel duobus tantùm, in quo suffragia, ad electionem

re-

requisita, concurrisse viderit, poterit Definitorium Provinciale dispensare. Similiter eligi non poterunt ex actu studentibus, qui cursum nondum confecerunt; qui usque ad annum à cursu finito expletum, non poterunt eligi, nisi justis de causis, cum uno, vel duobus tantùm ex iis, qui studiorum cursum perfecerint, Definitorium Provinciale dispensaverit. Declaramus, Priorem creari non posse, qui ob adversam valetudinem communis, ac regularis vitæ actibus in Choro, & Refectorio, cæterisque locis, majori ex parte nequit interesse.

3. Prior, cujus officium in Capitulo expirat, in idem officium ad eumdem Conventum resumi non possit, nisi cum duabus è tribus suffragiorum partibus; in alium verò Conventum electione ordinariâ poterit assumi: sed, si quis tempore intermedio, quod ab uno in aliud Capitulum labitur, in alicujus Conventûs Priorem, seu Vicarium eligatur; in Capitulo sequenti poterit, non solùm in alterius, sed etiam in ejusdem Conventûs Priorem, ordinariâ electione, promoveri. Declaramus, Priorem qui non fuerit reelectus à Capitulo Provinciali in eumdem Conventum cum duabus è tribus suffragiorum partibus, non posse à Definitorio Provinciali post Capitulum Provinciale ad eumdem Conventum reassumi, nisi cum omnibus suf-

fragiis ; poſt ſex menſes verò à celebratione Capituli, ordinariâ electione aſſumi poſſe. Ordinamus etiam, ut Prior electus in Definitorio Provinciali immediatè poſt Capitulum Provinciale triennale, non poſſit in ſequenti Capitulo eligi electione ordinariâ in Priorem ejuſdem Conventûs. Præcipimus autem, quòd Priores, qui per ſexennium integrum immediatè Prioris officio functi ſunt, in officium Prioris non poſſint eligi in eo Capitulo, in quo officio defunguntur ; nec extra Capitulum, ſaltem per ſex menſes.

4. Cùm verò ad reelectionem Prioris Conventûs, cui præfuit, & Vicarii, duæ è tribus ſuffragiorum partibus requiruntur ; ſi primâ & ſecundâ vice tot ſuffragia non habuerint, quæ ad reelectionem ſufficiant, licet ad electionem novam ſufficerent, eo ipſo à prælatione illa excluſi maneant, & tertiâ vice ferantur ſuffragia ad eum modum, qui de ſecunda Cap. 7. num. 6. expreſſus eſt : quòd ſi tunc non fiat electio canonica, quartâ vice concludatur electio eo modo, quo tertiâ vice ſuprà ſcriptum eſt.

5. Ne qua verò de ſuffragiorum partibus oriatur contentio, declaramus, ita eſſe computanda ſuffragia, quæ ſuperſunt, numero in tres partes æquales diviſo : ut, ſi ſuperſit unum tantùm ſuffragium, annumeretur duabus

bus partibus; si supersint duo, unum duabus, alterum tertiæ parti annumeretur.

6. Assignentur etiam in Capitulo Provinciali duo Religiosi, pro eligendis locis ad nova Monasteria ædificanda.

7. Statim post electiones aperiantur publicè in Capitulo litteræ directæ Capitulo Provinciali, quæ alibi, quàm in Capitulo aperiri non possint; quemadmodum, quæ Definitorio Provinciali mittuntur, alibi quàm in ipso Definitorio legi non possint, sub pœna depositionis ab officio: & quæ sine subscriptione fuerint, non legantur, sed statim publicè in Capitulo conscindantur; idemque, quantum ad litteras non subscriptas, in Definitorio Provinciali observandum erit: quæ autem subscriptæ erunt, remittantur Definitorio Provinciali examinandæ; & quæ offensionem, infamiam, vel culpam alicujus non continent, omnes legantur publicè in Capitulo, & quidem, quæ ad leges spectant, antequam de legibus agatur; reliquæ verò, illis absolutis.



CAPUT XVIII.

De Statutis, & Ordinationibus.

1. ABsolutis electionibus, si necessitas id requirat, fiant aliqua statuta, ad perfectionem promovendam, sive ad extirpandos aliquos abusus: quæ, ut observari incipiant, tribus è quatuor suffragiorum partibus approbentur: & quæ à Definitorio Generali confirmatæ fuerint, usque ad sequens Capitulum Provinciale triennale durent; ibique, nisi expresse confirmentur, expirent. Constitutiones autem in solo Capitulo Generali fieri possint.

2. Proponat in Capitulo Provincialis, quæ dicenda occurrunt: si verò aliqua ipse prætermiserit, vel quavis de causa proponenda videantur; quilibet Definitor, sentiente alio ex Definitoribus proponi debere, petitâ veniâ poterit proponere, ut decidantur: quod similiter observandum est, non tantùm quando duo Definitores consentiunt, sed etiam quando quatuor ex aliis Capituli Patribus postulant; ex quibus, qui alios loco præcedit, dubia proponet. Ut verò maturiùs omnia examinentur, graviora dubia ab una ad aliam sessionem proponantur.

3. Statuta, sive Ordinationes factæ,

ab

ab omnibus Capituli Provincialis Patribus ſubſcribantur in libro ad hoc deſtinato, Erit etiam liber alius, in quo ſcribantur Decreta Definitorii Provincialis, cum Provincialis, primi Definitoris, & Secretarii ſubſcriptione. Tranſumpta verò Ordinationum Capituli Provincialis, & decretorum Definitorii, à Provinciali & Secretario ſubſcripta, ſtatim per Provincialem ad Definitorium Generale mittantur, ut ea confirmet, aut ſi opus fuerit, moderetur: quæ verò fuerint confirmata, & moderata, à Provinciali, & ejus Secretario ſubſcripta ad Conventus mittantur.

CAPUT XIX.

De aliis actibus Capitulo Provinciali reſervatis.

1. OMnes electiones, quæ interim, dum Capitulum Provinciale celebratur, in Provincia occurrunt, exceptâ eâ, quâ Supprior, & primus Diſcretus eligitur, ad totum Capitulum Provinciale pertineant.

2. Legantur hic epiſtolæ Capitulo Provinciali miſſæ, quæ ad leges non ſpectant.

3. Conſultent Patres Capituli, an Monaſterium aliquod, eò quòd Inſtituto noſtro non ſit conſentaneum, vel quavis ex cauſa inutile, deſerendum

ſit: quod in proximo Capitulo Generali proponatur, & decidatur.

4. Denique alia quævis negotia, quovis modo ad Capitulum Provinciale attinentia, hoc loco tractentur. Si autem Capitulum Provinciale ob ſingulares cauſas convocetur, illæ tantùm cauſæ expediantur, cæteris omnibus intactis, niſi neceſſitas aliud requirat. In his autem Capitulis intermediis, Provincialis, & Definitores Provinciales officio functi, ratione prædictorum officiorum non habeant locum, neque vocem activam; ſed tantùm in eo Capitulo, in quo expirant eorum officia.

CAPUT XX.

De Capituli Provincialis fine, & de electionum confirmatione.

1. PEractis electionibus, Præſes imponat præceptum ſcriptum, ut intra viginti quatuor horarum ſpatium Patres Capituli ad illum deferant, ſi in recenter electis aliquod impedimentum Canonicum, vel à noſtris Conſtitutionibus ortum cognoverint, propter quod mereantur non confirmari. Si verò de aliquo ejuſmodi impedimenta, vel culpæ legitimè probentur, minimè confirmetur; ſed alius in ejus locum eligatur. Hic autem de Provinciali tunc electo, ſtatim-

que

que confirmato nihil inquirendum est.

2. Ii ergò, quibus nihil objicitur, per secreta suffragia in Definitorio ad confirmationem approbentur, & statim confirmentur à Præsidente Capituli in hunc modum: Ego N. nomine meo, & omnium consentientium, confirmo te, vel vos, in tale officium. Statimque omnes Capituli Patres Professionem Fidei, à Concilio Tridentino præscriptam, facient.

3. Post hæc Præsidens Capituli Patres ad legum custodiam, & exemplum subditorum hortabitur: eisque plenariam Indulgentiam, & absolutionem ab omni Ecclesiastica censura, juxta privilegia concedet; ultimamque Capitulo manum imponet. Tunc Patres se mutuò amanter amplectentur, in loca, quæ illis obtigerint, Apostolico more paulò post discessuri.

CAPUT XXI.

De Visitatione Superiorum, electione Magistri Novitiorum, Suppriorum, & primi singulorum Conventuum Discreti.

1. ABsoluto Capitulo, Provincialis, & Definitores, qui ad negotia expedienda, tamquam Capituli totius appendix remanent, Secretarium Definitorii primùm eligent, qui juramentum fidelitatis juxta dicta

Cap. 2. num. 3. hujus tertiæ Partis præstabit. Deinde, antequam Capitulares discedant, præcedentium Provincialis, & Definitorum culpas, si quæ fuerint, inquirant in hunc modum.

2. Provincialis recenter electus, ac duo definitores antiquiores, qui proximo triennio Definitores non fuerint, visitabunt: quòd si Provincialis absit, tres antiquiores Definitores, è quibus nullus præcedenti triennio Definitor fuerit, quorum primus Provincialis vices gerat, de præcedentium Provincialis, & Definitorum culpis inquirent: quòd si tres Definitores novi non adsint, Patres alii primo loco sedentes in Capitulo, ratione officii proprii, & non ut substituti pro aliquo Definitore absente, ad numerum trium visitantium implendum, ordine servato, subintrabunt.

3. Expleto ergò trium numero, ut omnia rectiùs procedant, Visitatores scriptum præceptum Capituli Patribus imponent, ut intra præfixum ab eis tempus, si quid noverint, denuntient; aut se nihil nosse, coram eis affirment. Et de culpis publicis publicè coram toto Capitulo Præses admonitionem scriptam, & à Visitatoribus approbatam, legat; & pœnam eis, qui eam meruerint, inferet, aliàs verò culpas ipsi visitato coram reliquis Visitatoribus tantùm, dicat, & corripiat; ita tamen, ut, si pœnam Definitorio Pro-

vin-

vinciali reservatam meruerint, alii duo Patres loco antiquiores adjungantur, qui Definitorii numerum implentes causam decidant: si tamen pœna Definitorio Generali reservatur, processum de culpis factum eidem Definitorio mittent, ejusque decisionem expectabunt.

4. Hoc ipso tempore eligetur, per vota secreta Definitorii, Magister Novitiorum, ad rem tantam aptissimus, in quo conscientias eligentium oneramus. Eligetur etiam Magister Fratrum, qui manent in Conventu Professorum, qui possit esse Supprior; aut alter Sacerdos ex prudentioribus; hortamurque electores, ut illum eligant, qui bono communi magis expedire visus fuerit; Supprior quoque, & primus Discretus, cuilibet Conventui à Definitorio juxta voluntatem cujusque Prioris, quoad fieri poterit, assignabitur; ita ut Prior quisque proponat unum, vel plures, quos probat, è quibus à Definitorio per secreta suffragia unus eligatur: quòd si Prior absit, vel ab eo alias nullus proponatur, Provincialis proponet, ac Definitorium eliget. Et denique in Definitorio agetur de Fratrum missione in diversos Conventus, omniaque alia, quæ occurrent, expedientur.

CAPUT XXII.

De officio, & auctoritate Provincialis.

1. QUoties in diversis locis, seu Regnis Congregatio nostra habuerit idoneum Conventuum numerum, à Capitulo Generali probatum, qui curam unius Superioris requirat, eligetur in eodem Capitulo primus erectæ Provinciæ Superior, qui appellabitur Provincialis; qui non poterit simul esse Prior; cujus electio, præter primam, & illam, quæ occurrit tempore, quo Capitulum Generale celebratur, ad Capitulum Provinciale pertinebit: ejusque officium triennio tantùm durabit, præterquam in electione, quæ fit à Capitulo Generali in prima erectione Provinciæ; quia tunc tantummodò durabit usque ad Capitulum Provinciale triennale proximum, ubi eligi poterit electione ordinariâ in Provincialem ejusdem Provinciæ: officioque fungetur, usque ad electionem novi Provincialis, vel eo absente, usque ad electionem primi Definitoris Provincialis. Volumus autem, ut omnia officia, quæ vacant dum erigitur Provincia, vel dividitur, ad Provinciam pertineant, à Capitulo Generali, & Definitorio Generali respective, per majorem partem suffragiorum, eligantur,

&

& in proximo Provinciali Capitulo expirent.

2. Habebit auctoritatem omnem, quæ ſive ex Jure, ſive ex privilegiis aliarum Religionum, quarum privilegia à Sede Apoſtolica ſibi fuerint communicata, Provincialibus competit, dummodò noſtris Conſtitutionibus non contradicant. Nemo in ejus Provincia, ſine illius venia; habitu noſtro, ſive inter Fratres, ſive inter Moniales indui, neque profiteri, neque ad Ordines etiam minores promoveri, neque Confeſſarii, aut Concionatoris, aut Lectoris ordinarii officio fungi poterit, excepto Prælectore ordinario Philoſophiæ, & Theologiæ, qui à Definitorio Provinciali, ut in Cap. 24 hujus tertiæ Partis num. 2. aſſignandi ſunt: ipſiuſque erit ſingulis ſuæ Provinciæ Fratribus Conventum, ubi habitent, aſſignare, indeque ad alios transferre: poteritque ſocium ſibi eligere ex ſua Provincia, quem maluerit; qui tamen, neque in Conventibus, neque in Capitulo Provinciali poterit ferre ſuffragium.

3. Bis in triennio ſuam Provinciam viſitabit; at, ſi juſta cauſa ſubſit, poterit alicui viſitationem alicujus Conventûs committere, præſcriberque illi auctoritatem, quâ functurus eſt, quemadmodum ei videbitur expedire.

4. Gubernabit ſuæ Provinciæ Moniales,

niales, quemadmodum ei hâc Parte præſcribitur.

5. Poterit Provincialis per ſe ſolum in ſua Provincia negotia omnia, Capitulo Generali, vel provinciali, Præpoſito, Definitorio Generali, vel Provinciali non reſervata, expedire, & culpas omnes, uſque ad graviorem incluſivè punire: & in iis, quæ ad mores attinent, nec per Conſtitutiones ei prohibentur, diſpenſare; at hoc ex juſta cauſa, raroque efficiet: qua in re, ſi deliquerit, in Capitulo Provinciali, tempore ſuæ viſitationis, puniatur.

6. Poterit & alia præſtare, quæ in Conſtitutionibus ei committuntur.

7 Non poterit autem Provincialis mutare Religioſos, qui poſſunt habere vocem in Capitulo Provinciali, à Conventibus, in quibus ſunt Conventuales, per ſex menſes ante Capitulum Provinciale; niſi, vel ipſis petentibus, & de conſenſu primi Definitoris Provincialis, vel ipſis non petentibus, de conſenſu duorum Definitorum Provincialium. Nec poterit, dum eſt in Provincia, aſſignare Vicarium Provincialem, niſi conſultis Definitoribus Provincialibus ſaltem per litteras: cùm verò abſuturus eſt ultra menſem, provideat Provinciæ de Vicario Provinciali. Vicarium autem alicujus Conventûs, præſente Priore, conſti-

tuere

tuere non poterit. Sigillum Provincialis mortui reponatur in arca trium clavium, & Prior domûs secum ferat ad Capitulum Provinciale.

8. Provincialis officio defunctus poterit sibi in tota Provincia eligere Monasterium, quod libuerit.

CAPUT XXIII.

De Officio Definitorum Provincialium.

1. DEfinitorium Provincialium est Provinciali ad idoneam Provinciæ gubernationem consilium dare, non solùm, dum ab eis petitur, sed etiam, dum prudentia, & charitas dari debere, persuadet. Quo quidem consilio Provincialis libenter uti debet. Est quoque Definitorum curam gerere de Provincialis valetudine, ne medium virtutis nimiis curis, & laboribus excedat.

2. Definitorum Provincialium officium triennio durabit, quousque novi Definitores creentur; & quamdiu Capitulum, & Definitorium celebratur, Patres ii vocabuntur Definitores, & Provinciali proximi ubique assidebunt, & præsidebunt. Extra Capitulum verò, & Definitorium, post Priorem domûs immediatè juxta ordinem suæ electionis sedebunt, neque Definitores appellabuntur. In illo autem

Monasterio, ubi sunt Conventuales, signum dabunt, & præsidebunt in actibus Communitatis, omnibus, qui loco inferiores sunt Suppriore. Definitores Provinciales, simul non possunt esse Priores, nec Suppriores, iisque in communi tabula officia non assignentur, quæ Supprioribus assignari non solent.

3. Poterunt Definitores sibi invicem scribere, sine eo, quòd à Superioribus litteræ legantur, vel aperiantur. Per aliquod etiam tempus, ante, & post Definitorium Provinciale, quod tempus designetur ab ipso Definitorio Provinciali juxta necessitatem uniuscujusque Provinciæ, scribere poterunt Religiosis propriæ Provinciæ, ab iisque litteras accipere, & hoc sine eo, quòd à Superioribus Provinciæ aperiantur, & legantur. Hortamur autem Patres Definitores Provinciales, ut parcè admodum, & non nisi ex magna Religiosorum necessitate, hâc licentiâ utantur: nam ex abusu hujus legis plura inconvenientia exoriri possunt, quæ Provinciam potiùs destruant, quàm ædificent: quod maximè Patres Definitores animadvertere debent, cùm ipsis præcipuè bonum Provinciæ conservare, & augere incumbat.

4. Nullus inferior Provinciali, vel ejus Vicario, seu Visitatore, possit publice corripere, vel admonere Definitores Provinciales de culpis: sed quando opus fuerit, Prior vel Vicarius ca-

nonicè

nonicè electus, secretò, & reverenter id faciat; & si nihil se prodesse viderit, aut speraverit, Provincialem certiorem faciat. Admonemus autem Patres Definitores Provinciales, ut exemplum præbeant humilitatis aliis, & facilè in Capitulo, & Refectorio semetipsos accusent, juxta bonam nostræ Congregationis consuetudinem.

CAPUT XXIV.

De Definitorio Provinciali, ejusque auctoritate.

1. DEfinitorium Provinciale, quod ex Patre Provinciali, & quatuor Definitoribus componitur, post Capitulum Provinciale habet primam auctoritatem in Provincia; quam Provinciali universaliter committere non possit, nisi ad peculiarem aliquem casum. Secretarius autem Definitorii juramentum fidelitatis præstet, quemadmodum Cap. 2. n. 3. hujus tertiæ partis de Secretario Capituli Generalis dictum est.

2. Ad Definitorium Provinciale spectat Magistrum Novitiorum creare, Conventum Novitiatûs designare: si verò extra Conventum Novitiatûs aliquando Novitios educari necesse sit, alium Novitiatûs Conventum eligere, eique ibi Magistrum præficere: eligere etiam Magistrum Fratrum, qui ma-

manent in Conventu Professorum, qui possit esse Supprior, aut alter Sacerdos ex prudentioribus (hortamurque ele- ctores, ut illum eligant, qui bono com- muni magis expedire visus fuerit) Præ- lectores Philosophiæ, & Theologiæ assignare, ita tamen, ut causâ mor- tis, vel infirmitatis possit Provincialis alium substituere usque ad primum Definitorium Provinciale: cum uno, vel altero Conventu, in iis, quæ ad mores attinent, per aliquot dies, aut paucas hebdomadas dispensare: bona mobilia non pretiosa in alia Monaste- ria, prout in Domino videbitur expe- dire, de consensu Conventûs trans- ferre: renuntiationem alicujus officii, in quod à Capitulo Provincinciali ali- quis ordinariè eligi solet, exceptâ re- nuntiatione Proviacialis, sociorum, & substitutorum, admittere, etiam Capitulo Provinciali durante, aut in idem officium vacans extra Capitu- lum aliquem eligere: Priorem elige- re in iis Conventibus, qui de novo conduntur: Priorem ab uno amotum, alio Conventui præficere (& tunc si talis Prior fuerit Definitor, non suf- fragabitur, sed alius loco ipsius elige- tur à Provinciali, & reliquis Definito- ribus pro eo actu: quòd si contingat duos Priores, de quibus agendum est, simul esse Definitores, duo, pro eo si- militer tantùm actu, eligentur) Prio- rem, seu Vicarium deponere: vocis, &

loci

loci privatione aliquem infra annum, aut intra tempus, quo Provinciale, vel Generale Capitulum celebrandum non est, punire: Priorem aliquem, seu Vicarium Conventûs ad tempus breve, hoc est infra annum suspendere, dummodò intra id tempus Capitulum Provinciale, seu Generale non celebretur: & alia, quæ in Constitutionibus Definitorio Provinciali reservantur: quæ postquam in Definitorio decreta fuerint, Provincialis executioni mandabit.

3. Ad hæc decidenda, bis ad minùs singulis annis definitorium celebretur, tempore ab eodem Definitorio, ante Capituli Provincialis dissolutionem, ut omnibus Capitularibus innotescat, præscribendo. Caveatque diligenter Provincialis, ne tempore Definitorii Provincialis alibi Definitores occupet. Ordinamus autem, ut Definitores absentes, qui proximâ die ad Definitorium bis in anno, tempore post Capitulum Provinciale assignato, celebrandum, non accesserint, ultra octo dies non expectentur, nisi per vota secreta in aliquo casu gravi ad breve tempus, utpote octo, vel quindecim dies, censeatur prorogandum, & dummodò non plures, quam duo absint; & in uno Definitorio antecedenti, ex duobus assignatis, à Definitorio Provinciali determinetur locus pro sequenti Definitorio, ut omnibus Definitoribus,

&

& Conventibus innotescat: sed alius, seu alii, si duo defuerint Definitores, eorum loco substituantur à reliquis per secreta suffragia ad numerum implendum electi. Ultra autem duas prædictas vices poterit Definitorium frequentiùs celebrari, si Provincialis, & Definitores per litteras consentiant: quòd si tres è Definitorio censeant id fieri debere, Definitorium congregetur; si verò Provincialis, vel solus, vel duo ex Definitoribus repugnant, Præpositus moneatur, ut de consensu Definitorum Generalium, saltem per litteras habito, remedium provideat. Si quando autem, sentiente Provinciali, & tribus Definitoribus Definitorium fieri debere, unus Definitor interesse noluerit, elapsis octo diebus à tēpore per tres Definitores præfixo, ad Definitorium celebrandum tempestivè per litteras vocatus, observato iter agendi modo, qui deceat nostrum Institutum, si non accedat, eligatur à Provinciali, & reliquis Definitoribus substitutus, ad Definitorium illud celebrandum, & celebretur Definitorium. Consentientibus autem quatuor e Definitorio Provinciali, teneatur Provincialis convocare Definitorium Provinciale: quod si renuerit, elapsis octo diebus à tempore per Definitores præfixo ad Definitorium celebrandum tempestivè per litteras vocatus, observato iter agendi modo, qui deceat nostrum Institutum, si non accedat, possint quatuor

tuor illi congregare illud, si bono communi expedire judicaverint; & Prior domûs, ubi congregabuntur, subintrabit: quod si non possit aliqua de causa, subintrabit Prior domus vicinioris.

4. Dum Definitorium Provinciale celebratur, nullus Definitor sine omnium aliorum Provincialis & Definitorum consensu absit; neque hic consensus, nisi uni præstari possit.

5. Provincialis, seu Præsidens, proponet in Definitorio, quæ occurrent; & eo non proponente, observabitur, quod decretum est hâc tertiâ parte Cap. 12. num. 5.

6. Detur opera, ut Definitoria Provincialia quàm citissimè absolvantur; serveturque secretum, ut de Generali Definitorio hâc tertiâ Parte Cap. 12: num. 8. dictum est.

7. Si Definitores animadvertant Provincialem officio suo non satisfacere, vel, quod pejus est, abuti, neque bonis consiliis acquiescere; Præpositum re benè ponderatâ, & examinatâ moneant, presertim in iis eventibus, in quibus pœna depositionis, seu suspensionis Provinciali per Constitutiones decreta est. Idemque Provincialis præstet, si Definitores officio suo ita deesse conspexerit, ut suspensionis, vel depositionis rei sint.

CA-

CAPUT XXV.

De Prioris officio.

1. PRioris officium eſt, ſubditos ad legum, præceptorumque cuſtodiam opere, verboque exhortari. Quamobrem vulgò Chori, Refectoriique actibus vigilanter interſit, nec in victu, aut veſtibus ſingulare quidpiam admittat. Si quam bonam conſuetudinem ab anteceſſoribus introductam invenerit, ſine Provincialis permiſſu, nec eam tollat, nec novam inducat.

2. Prior, in iis, quæ ad quotidianam communis vitæ diſciplinam pertinent, juxta occaſiones occurrentes cum ſuis, & ſecum diſpenſare poterit. Caveat autem, ne levi de cauſa, etiam in rebus minimis diſpenſet, cùm ſine culpa diſpenſare non poſſit, ſi juſta cauſa deſit.

3. Nulli Religioſo det veniam perennem, neque cum integra Communitate, ad aliquid in communi, & regulari vita mutandum, vel omittendum, niſi rarò, & ex gravi cauſa, Diſcretorum ſuffragiis approbanda, diſpenſet: neque verò tunc, niſi Provincialem priùs conſulat, ſi fieri poſſit, ſin autem, poſteà illum de re citò certiorem faciat.

4. More Patris ſpiritualem ſubdito-

rum

rum profectum curet, & augeat. Quod ut faciliùs obtineat, det operam, ut Fratres singuli quotannis semel saltem spiritualia, quæ vocamus, exercitia faciant. Et quod ad modum gubernationis spectat, amore potiùs, quàm pœnæ metu, aliis præesse curet. Præterea bis quotannis singulorum Fratrum spiritum examinabit, & illos instruet, ac solabitur.

5. Non animarum tantùm, sed corporum etiam curam gerat, omniaque necessaria valentibus, & ægris paternè providebit: quod ut præstet, ipse interdum communes officinas explorabit, & investigabit, an ministri officio satisfaciant; etsi hoc ad Supprioris munus spectare velimus.

6. Subditos frequenter visitet, ac exploret, an in cellis maneant, & in eis, ac extra eas aliquid boni agant.

7. Post Completorium verò ipse, vel alius ab eo designatus ferens lucernam, cellas visitet sub pœna media.

8. Ministeria Janitoris, Procuratoris, Sacristæ, cæteraque domestica injunget, auferetque à ministris, quando ei videbitur expedire. At meminerit non facilè auferenda officia, quæ indigent experientiâ.

9. Confessariis Fratrum ordinariis veniam dare poterit, ut licentiam concedant Fratribus, quorum confessiones audiunt, extraordinarium ali-

aliquod pœnitentiæ genus exercendi, prout in Domino crediderint expedire.

10. Prior dum in Conventu adest, Vicarium eligere nequeat: cùm autem recedit extra Conventum adfuturus, etsi electus Supprior ibi permaneat, poterit Vicarium Conventui præficere, qui sit Vicarius, etiam mortuo Priore; & in omni alio casu, in quo Prioris officium vacet, nisi ab aliquo Superiore alter Conventui præficiatur. Verùm cùm Prior ad Provinciale Capitulum accesserit, Supprior, nisi in socium eligatur, Vicarius erit. At toti Conventui præceptum imponere sine Discretorum consensu non poterit.

11. Prior nihil de novo possit ædificare, neque in ædificiis factis aliquid mutare, sine licentia in scriptis Provincialis, & primi Definitoris Provincialis, nisi in aliquo casu gravi, & tunc teneatur quamprimùm admonere Provincialem.

12. Priores, & Vicarii canonicè electi, ut rectiùs suo munere fungantur, non possint esse Confessarii ordinarii Monialium.

CA-

CAPUT XXVI.

De officio Supprioris.

1. SUpprioris officium, eo tempore, quod ab uno in aliud Capitulum labitur, durabit.

2. Est autem Supprioris officium, Professorum Fratrum Magistrum esse, præterquam in domibus educationi Professorum destinatis, in quibus Magister Professorum eligitur à Definitorio Provinciali, ut in Cap. 24. hujus tertiæ Partis; Chorum moderari, dareque operam, ut divinum Officium, cum ritibus ab Ecclesia, Ordinarioque præscriptis religiosè persolvatur; communes officinas explorare, &, an quidquàm necessarium desideretur, aliquidve superfluat, an etiam ministri rectè officio fungantur, animadvertere; demumque, si quid remedio egere videbitur, Priorem admonere. Supprior, si non sit Magister Novitiorum, vel Professorum, non possit in ipsorum cellas, neque ipsi in ejus cellam intrare, nisi absente Priore.

3. Curam geret Supprior, ut res omnes, Claustrum, Chorus, cæteraque Conventus loca munda sint, & ut supellex benè distribuatur; tabulæque communis officia per hebdomadas singulas scripto distribuèt. Obeunte Priore, vel absente, Conventum gu-

bernabit, nisi quis Vicarius Conventui præficiatur: at nihil innovabit, sub pœna gravi. Deficiente autem Priore, Vicario, & Suppriore, antiquior professione cæteris præsidebit; qui similiter, & quilibet alius præsidens, nihil innovabit, sub pœna gravi prædicta.

CAPUT XXVII.

De officio Socii ituri ad Capitulum Provinciale, eiusque electione.

1. ANte dies octo, quàm Prior in Capitulum migret, creabitur Socius, qui sit Sacerdos, & quinque saltem à Professione annos egerit, qui Conventus illius bonum in Capitulo procurabit. Ea verò in electione Prior, neque alius vocem habens in Generali, vel Provinciali Capitulo (exceptis sociis, & substitutis Capituli Generalis) non feret suffragium; sed cum duobus, qui ei proximi sedent, quorum secundus erit Secretarius, suffragia scrutabitur: quod etiam fiet in quavis alia electione à Conventu facienda. Quoad reliqua, servetur forma præscripta in electionibus hac tertiâ Parte Cap. 7. Qui commorantur in Conventibus, vel ad Fundationes mittuntur, in quibus nondum sunt creati Priores, vel Vicarii canonicè electi, tempore, quo eliguntur Socii ituri ad

Ca-

Capitulum Provinciale, habebunt vocem paſſivam in illis Conventibus, in quibus immediatè antè erant Conventuales, &, ſi ibi aderunt, vocem etiam activam.

2. Ut autem electio hæc Deo ſit acceptior, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub præcepto, omnibus Religioſis, noſtris, tam ſubditis, quàm Prælatis præcipimus, ut nullus in tota Congregatione unquam poſſit directè, vel indirectè, per ſe, vel per alium, procurare officium aliquod pro Religioſo noſtro, ex his, quæ per noſtras Conſtitutiones ambiri non poſſunt. Et ſub eodem præcepto univerſis electoribus præcipimus, ut eum Socium eligant, quem coram Deo magis idoneum crediderint: nec ſuffragium ferant pro eo, quem per ſe, aut per alium, directe, vel indirectè, noverint prætendere in id officium eligi, vel alio modo quartum votum de non ambiendo, vel præceptum de non prætendendo pro alio, juxta noſtras Conſtitutiones, violaverit. Poterit autem Capitulum Conventuale acceptare per ſecreta ſuffragia, & per majorem partem ſuffragiorum, renunciationem Socii electi pro Capitulo Provinciali, & alium loco ipſius eligere modo ordinario, & idem dicendum, quomodocumque officium Socii vacet.

3. Electus jam Socius ſecum feret

litteras ab electoribus ſubſcriptas, & Conventûs ſigillo munitas, quarum hæc erit forma:

Reverendi admodùm Patres: Cùm Reverendus Pater Fr. N. hujus Conventûs noſtri N. Prior, ad Provinciale Capitulum Romæ, Genuæ, &c. hoc anno, menſe, &c. celebrandum, ex obedientia profecturus eſſet, Pater Fr. N. primâ, vel ſecundâ, vel tertiâ vice, cum tot vocibus, ex tot capitulum conficientibus, in ejus Socium canonicè à nobis, qui in prædicti Conventûs Capitulo vocem habemus, electus fuit: cui legitimè juxta noſtras Conſtitutiones electo omnem eam auctoritatem concedimus, quâ poſſemus ritè fungi, ſi nos omnes in Capitulum conveniremus. Et ut, tam ipſe, quàm omnes alii Patres Capitulum conſtituentes, quæ ad Dei gloriam, & Congregationis noſtræ commune bonum opportuniora ſunt, unanimes decernant, divinam bonitatem enixè deprecamur. In quorum fidem præſentes dedimus prædicti Conventus ſigillo munitas, noſtriſque nominibus ſubſcriptas. Datum Romæ, Genuæ, &c.

RR. VV. humiles filii, Fr. N. &c.

Feret etiam litteras eorum, qui ad Capitulum eas dare voluerint, catalogumque Fratrum ſingulorum, cum nominibus, patria, antiquitate, & qualitatibus cujuſcumque, ſcilicet an

ſint

ſint Prædicatores, Confeſſarii, & ſimilia; quem Definitorio poſtmodum offeret. Socius ferat teſtimonium, cum ſubſcriptione Diſcretorum, de Miſſis, quæ adhuc debentur; ſimiliter de aliis debitis, quæ adhuc Conventus non perſolvit; & memoriam Religioſorum, qui in ſuo Conventu deceſſerunt: quæ omnia in Capitulo legantur.

4. Si Supprior eligatur in Socium, aut ſi fortè Conventus Suppriore careat, Vicarius à Conventu eligetur, qui Conventum intereà gubernet. In hac autem electione Prior feret ſuffragium. Verùm, ſi Prior, quavis de cauſa, domi remaneat, non eligatur Vicarius, ſed ille Conventum gubernet, quouſque novi Prioris litteræ patentes publicè legantur; neque antea aliquem jurisdictionis proprii officii actum, Prior noviter electus exercere valeat, etſi proprio Prioris loco ſedere, cæteriſque ſui officii honoribus frui debeat. Quòd ſi Prior officio defunctus, electus fuerit in Priorem alterius Conventus, tunc Supprior, vel Præſidens, domum gubernabit.



CAPUT XXVIII.

De officio Discretorum, bonorumque Conventus custodia.

1. IN Capitulo cujuscumque Conventûs duo eligantur Discreti: quorum electio per schedulas secretò fiat, ita ut ab unoquoque electore in schedula una duo assignentur: & quibus primâ vice plura suffragia adstipulantur, ritè electi maneant; quorum, qui plura suffragia habuerit, vel inter æqualia suffragia habentes, Professione antiquior erit secundus Discretus. Quòd si per mortem, vel absentiam secundi Discreti eligatur alter, noviter electus erit tertius: quorum officium triennio durabit; eliganturque paulò post quàm novus Prior ad Conventum accesserit.

2. Eorum officium est, simul cum Priore, primoque Discreto, rationes accepti, & expensi computare, & suam dicere sententiam ad bonorum Conventus distributionem. Quare volumus, ut Prior quamvis ad ordinarios sumptus victus, vestitus, Bibliothecæ, Sacristiæ, & aliorum similium (quos volumus qninquaginta aureorum quantitatem non excedere) consilium Discretorum petere non obligetur, ad extraordinarios tamen sumptus, qui sex aureos excedunt, eos consu-

lere

lere debeat, sub pœna gravi.

3. Prior vineam, silvam, vel quid simile conserere, sine Provincialis venia, Discretorumque consensu, non valeat, sub pœna gravi: at verò ad res minoris momenti sufficiat consensus Discretorum; * sed ad evellendas arbores alicujus momenti, requiritur licentia S. Congregationis Concilii.

4. Si Conventui alicui legata, vel donata fuerint aliqua bona immobilia, reditusve, aut annui census, Prior, ac discreti illa nequeant alienare, sine consensu Præpositi, ac Definitorum Generalium: qui, si Conventus, cui ea bona obvenerunt, reditus habere non possit, aut certè si possit habere, non tamen indiget ob alia bona, quæ jam ei sufficere videantur; inter nostra Monasteria distribuent, aut uni, vel pluribus juxta nostra privilegia tribuent, prout eis expedire videbitur.

5. Prior, etsi Discreti consentiant, Conventus libros vendere, vel alio quovis modo à Conventu alienare non possit: at si nonnulli fuerint duplices, aut inutiles, vendi poterunt; ita tamen ut redactâ ex eis pecuniâ libri alii utiles emantur. Item quoties liber aliquis alicui omnino dandus esset, alius ematur.

6. Nostræ Bibliothecæ selectis libris sacræ Scripturæ, sanctorum Patrum,

Doctorum Scholasticorum, ac Philosophorum, & Jurisprudentum, instruantur; & quidquid ad pietatem conferre potest, ad Bibliothecas ornandas comparetur. Ab uno autem Conventu nullus liber in alium deferatur, sub pœna gravi, latori inferenda; quam etiam ferat Prior, in cujus Conventum deferatur, nisi eum ad Conventum proprium ferri faciat: at Fratribus Clericis permitti poterit, ut Biblia sacra, iis verò qui Clerici non sunt, ut pium aliquem librum secum ferant.

7. Commodari poterunt honestis viris libri nostri, si necessitas urgeat, cautione præstitâ, ne pereant: quapropter non commodentur, inscio Custode librorum, qui eorum curam geret.

8. Cætera Conventûs bona in communibus officinis asserventur: & si quæ fuerit pecunia, in arca communi servabitur; cujus clavem unam Prior, alias verò duas primus, & secundus Discretus habebunt. Ex ea verò arca pecunia quævis insumenda accipiatur coram aliquo ex Discretis, & numerata Procuratori tradatur: qui eam quomodo insumpserit, eisdem Priori, & Discretis singulis mensibus rationem reddet. Summam verò totius, peculiari libro expressam, & á prædictis subscriptam, in præfata communi arca reponi volumus, sub pœna gravi.

9. In

9. In eadem arca servabuntur communia Conventus acta, & Inventarium ejusdem bonorum. Volumusque, ut quilibet novus Prior, simul, ac litteras suæ Prælationis ostenderit, illud videat; & juxta ea, quæ ibi notantur, Conventus bona recipiat. Quòd si Inventarium non invenerit, illud coram Discretis, sub pœna gravi, efficiendum curet. Et cùm à Conventu, iturus ad Capitulum, recedit, Præsidenti, ac Discretis ibi remanentibus, ad illius fidem, bonorum rationem reddat.

10. Præter ea tamen, quæ Discretis in Capitulo Conventus electis competunt, primi Discreti officium erit, de iis, quæ ad spirituale, temporaleque domus bonum expedire in Domino crediderit, Priorem prudenter monere, eique de quæsitis ab eo consilium dare. Erit præterea Prædicatorum, & Confessorum, ac eorum, qui ad Congregationis habitum admittendi, vel sacris initiandi sunt, primus examinator: qui de consensu Definitorii, ac (si adsit) Prioris, cujus comes futurus est, eligetur. Si autem Discretus alicui assignatus Conventui obierit, vel quavis ex causa defecerit, Provincialis cum Definitorum consilio, si facile peti possit, statim eidem loco alium idoneum provideat.

11. Prior, sine consilio Discretorum Conventus, bona mobilia mediocris pretii, puta, valoris septem aureorum

uſque ad quinquaginta ſcutorum, nec vendat, nec alienet ſub pœna gravi. Bona verò mobilia majoris pretii, quàm quinquaginta ſcutorum, Prior, nec vendat, nec emat, nec alienet, niſi re in Capitulo Conventûs priùs propoſitâ, & per ſecreta ſuffragia definitâ, & habitâ licentiâ ab eis, ad quos pertinet illam dare, ſub pœna depoſitionis ab officio.

CAPUT XXIX.

De Viſitatoris officio.

1. VIſitator, quemadmodum, & Prælatus quicumque, à ſubditis ſummiſsè admodùm, ac reverenter admittatur; præſertim cùm recenter in Conventum ingreditur, vel poſt diuturnam abſentiam revertitur.

2. Quòd, ſi Præpoſitus, aut Provincialis viſitaturus accedit; ſtatim, ac Conventum ingreſſus fuerit, ad ſignum Campanulæ ad Chorum, ubi ipſe orans expectabit, omnes Fratres conveniant, benedictionem ab ipſo, ut mos eſt, flexis genibus accepturi, juxta Manuale; nec incipiat viſitationem ſimul, ac pervenerit.

3. Cùm ergò jam ei videbitur opportunum, die aliquâ manè Fratres convocet; & præmiſſo Hymno Veni creator Spiritus, ad legum cuſtodiam eos in Capitulo breviter hortetur.

Mox

Mox si Præpositi, aut Provincialis Vicarius fuerit, litteras functionis sibi commissæ legat, & statim subjectum præceptum scripto ferat: Auctoritate Domini nostri JESU CHRISTI, & officii, quo fungor, omnibus hujus Conventûs Fratribus præcipio in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, ut unusquisque cùm rogatus fuerit, aperiat, an in hoc Conventu, vel Fratre quovis, aliquam culpam deprehenderit contra Dei, vel Ecclesiæ legem, contra Regulam, & Constitutiones, aut Ordinationes Prælatorum Congregationis.

4. At quia Visitator, non tam judicem, quàm patrem inter nos repræsentare debet; publicè omnibus exponet communem correptionis fraternæ doctrinam, ne fortè charitatis lex alicujus Fratris ignoratione violetur: quòd accuratiùs efficiet erga singulos, quos interrogabit, antequam illi quidpiam corripiendum deponant.

5. Deinde locum, ubi Eucharistia servatur, scrutabitur: communes etiam Conventûs officinas visitabit, expendens, an aliquid pro status nostri ratione supersit, aut desit.

6. Audiet uniuscujusque dicta, librum accepti, & expensi leget; & si quid ex bonis Conventus malè insumptum fuerit, pro culpæ modo pœnam irrogabit. De domus etiam bonis pro-

movendis, eos, qui rerum notitiâ pollent, interrogabit.

7. Poſtmodum Capitulum convocabit, & leves, quas invenerit, culpas puniet; excluſiſque ſuffragium ferre non valentibus, cæteris intereà ſtantibus, Prior proſtratus ſe ipſum accuſabit: qui ſi reus inveniatur alicujus culpæ non omnibus notæ, coram iis, qui majori illum amore proſequuntur, corripiatur, ne culpa, aliis nota fiat. Deinde verò Viſitator cæteros ordinate corripiet, & Indulgentias juxta privilegia eis concedens, Capitulum abſolvet

8. Viſitatio hæc, quoad culparum inquiſitionem, & correptionem, quatuor, vel plurimùm quinque dies durabit: & Viſitator pacis bonum tueri, ac poſt profectionem ſuam auctum in Conventu relinquere curabit.

9. Expletà Viſitatione, per aliquot dies in Conventu immorabitur, prout ad Fratrum ſolatium, in Domino arbitrabitur, oportere; & ſingulos privatim alloquetur, eorum ſpiritum examinabit, omneſque in Domino ſolabitur. Quod ſi Vicarius is fuerit, à Præpoſito, vel Provinciali miſſus, ſcribet ei de ratione ſtatûs, in quo reperit, & reliquit Conventum.

10. Poterit Præpoſitus, vel Provincialis, & quilibet Viſitator ab eis ſubſtitutus, aliqua ſtatuta ſalutaria condere; & præceptum toti Conventui

ſic

sic imponere, ut statuta, & præcepta obligent tantùm, quousque Præpositus, vel Provincialis factus certior, aliud decernat. Acta itaque, & præcepta, si quæ remanserint, in arca communi serventur, & tantùm perdurent de una visitatione in aliam, à Superiore ejusdem auctoritatis faciendam, ubi de novo non approbata, expirent Et quilibet Visitator diligenter inquirat, inspiciatque omnia acta, mandata, præcepta, aut censuras sui antecessoris, ut de earum observantia, integraque adimpletione, & quid circa ea confirmare, aut revocare expediat, exactiùs judicare possit. Volumus autem, ut expiret præceptum in proximis Capitulis triennalibus respectivè post publicationem actuum eorumdem Capitulorum; quamvis res præcepta usque ad aliam visitationem, ut simplex mandatum vim habeat, nisi aliter Præposito Generali expedire videbitur.

11. Non se ingeret gubernationi Conventûs quoad ejus temporalia bona; sed omnia ea Priori, ministrisque remittat, ut tempus omne rebus majoris momenti possit impendere.

12. Præpositus, & Provincialis, & quilibet alius Visitator, cùm Monasteria studiorum visitabit, de studentium progressu periculum faciat; & ob ingenii tarditatem, aut ob culpas improbatos, à scholis amovebunt. Explorabunt,

bunt, an circa doctrinam, quæ in ſecunda Parte ordinata ſunt, obſervent, omnemque ejus generis culpam ſeverè puniant; novitatumque amatores â ſcholis arcebunt: ſed Prior in hoc ſemper invigilet: quod, & in ſtudiis aliorum Conventuum obſervari præcipimus.

CAPUT XXX.

De regimine, ac Viſitatione Monialium.

1. PRovincialis deſignet Monialibus ſuæ Provinciæ Concionatores, & Confeſſarios ordinarios, & extraordinarios è Congregatione noſtra, in oppidis, in quibus Conventum Fratrum habemus. Ubi verò ex noſtris domus non eſt, ex extraneis eis provideat, Confeſſarios, & Concionatores doctos, & ſpirituales: extra quos Monialibus non liceat alios Confeſſarios, aut Concionatores, ſæculares, aut regulares vocare, vel ultrò ſe offerentes admittere; neque cum viris Eccleſiaſticis, ſæcularibus, ſeu religioſis, ſpiritualiter interna conferre, vel ullo alio modo loqui.

2. Si quis è noſtris Fratribus intra Monaſterii clauſtrum, ad confeſſionem alicujus infirmæ audiendam, Euchariſtiam, vel Extremam unctionem miniſtrandam, ingrediatur, cottâ & ſtolâ in-

induatur, & socius illum comitetur. Uterque autem recta in locum, ubi ægrota Monialis decumbit, incedat, & recedat: neque alter ab altero separetur, nisi quantum Sacramenti reverentia requirit, sub pœna privationis vocis, & loci per sex menses.

3. Si Monialis aliqua sit morti proxima, non liceat Sacerdoti nostro, qui cum socio ad Sacramenta ei ministranda, vel eam in agone juvandam ingreditur, intra clausuram pernoctare; sed ministerio peracto, ad suum Conventum cum socio revertatur, nisi ægrota sit in eo periculo, ut eo pietatis officio egeat, quod in morientes exerceri solet, fructumque inde capere possit. At eâ defunctâ, statim cum socio exeat, & in comitatu alicujus viri probi, si fieri possit, ad suum Monasterium redeat: sin minùs, extra clausuram in Sacristia, vel in alio loco decenti, usque ad proximum mane, cum socio permaneat, sub pœna privationis ab officio Prælatis contra facientibus, aut consentientibus; subditis verò sub pœna gravi, per quinque dies, & privationis vocis, ac loci imponenda per sex menses.

4. Nulli è Fratribus nostris liceat apud Monasteria Monialium cujuscumque Ordinis vesci, neque verò in propinquis, aut aliis quibuscumque locis cibos, qui à Monialibus ad ea loca mittuntur, accipere, nisi justa de

causa,

causa, & de Superioris Monialium venia; tunc verò alia fercula non apponentur, nisi ea, quæ eo die in refectorio Monialium apponuntur.

5. Præter Concionatores, & Confessarios, suis officiis functuros, nullus è nostris Fratribus, etiam iter agens, ac transiens per loca, ubi Monasteria Monialium, & non Fratrum habemus, ad earum Monasteria unquam accedat, sub pœna privationis ab officio, & vocis activæ, & passivæ, ipso facto incurrenda.

6. Munera quælibet etiam parva à Monialibus ad Fratres, aut à Fratribus ad Moniales mitti prohibemus, sub pœna privationis vocis, ac loci, per duos menses.

7. Nullus è Fratribus nostris possit officio Capellani, aut Vicarii Monialium fungi, nec iis de causis alicubi extra Conventus nostros habitare.

8 Nullus e nostris Fratribus Procurator negotiorum temporalium, quæ ad Moniales spectant, esse possit. Superiores autem, ea, quæ charitas exigere videbitur, multa cum circumspectione gerant, nec se nimiùm iis negotiis implicent.

9. Visitator Monialium, tantummodò ad clausuram visitandam, Monasterii septa ingrediatur, & cætera omnia, quæ juxta formam Visitatoribus suo loco præscriptam, ad suum officium attinent, exteriùs existens ad cancellos expediat.

10. Or-

10. Ordinamus, ut cùm Provinciales, vel qui eorum vices gerunt, electioni Priorissæ, vel Suppriorissæ præsident, huic actui, simul cum Priore aliquo, vel Definitore Provinciali, si commodè fieri possit, intersint.

CAPUT XXXI.

De pœnis, sigillatimque de pœna levi.

1. QUamquam Fratres nostros, amore potiùs virtutis, quàm pœnæ metu, moderari cupimus; quia tamen ab aliquibus minùs perfectis per pœnam obtinetur, quod lenitas impetrare non potuit, nonnullas pœnas decernere opus est.

2. Pœna levis est, Psalmum, vel Orationem aliquam, Superioris nutu impositam, recitare; Fratrum osculari pedes; brachiis extensis Crucis figuram repræsentare; genibus flexis ad januam Refectorii, cùm Fratres ingrediuntur, aut egrediuntur, eorum preces postulare.

3. Hujusmodi pœna imponetur ei, qui in Chori officio errorem admiserit, maximè, si se non prostraverit, terramque fuerit osculatus: ei, qui ad communes actus diligenter non accesserit, vel injuncta ei è communi tabula officia negligenter præstiterit: ei, qui ex professo cum alio Religioso, sine venia, verba fecerit, vel in locis pro-

prohibitis per diem, silentium non observaverit: ei, qui, sine venia, biberit: ac denique cuivis; qui alia similia his commiserit, seu Constitutionem quamcumque non observaverit.

CAPUT XXXII.

De pœna media.

1. POEna media est, in Refectorio verberari, quamdiù recitatur Psalmus De Profundis: aliquam ex mortificationibus extraordinariis exercere: ad Refectorium tergo detecto, ac sensim verberato, suppliciter accedere: Crucem, mortuisque caput in lacera veste, vel alio simili modo in Refectorium deferre: eleëmosynam in Refectorio mendicare, & humi sedendo, iis quæ à Fratribus dantur, tantummodò vesci: vino, aut aliquo è communibus cibis relicto, humi decumbendo prandere.

2. Hæc pœna imponetur, è Choro, vel quovis communi Fratrum cœtu, sine Præsidentis venia exeunti: ad Chorum, vel alium communem actum non eunti: absque Superioris permissu cum sæcularibus ex professo, vel de rebus inanibus loquenti: interdiù in Cellam alterius sine venia ingredienti: jejunia Constitutionum non observanti: denique illi, qui ea, quæ secundùm

Con-

Constitutiones pœnâ mediâ plectuntur, aut eis similia commiserit. Nullus verò in Capitulo, vel Refectorio, nisi Prior, Vicarius, & Supprior, quosvis è Conventu, Magisterque Novitiorum eos, quorum curam gerit, verberabit.

CAPUT XXXIII.

De pœna gravi.

1. POEna gravis est, integrum in pane, & aqua unius diei jejunium, acceptâ in Refectorio disciplinâ: per nonnullos dies humilibus actibus, quibus sensus repugnat, exerceri: Psalmos pœnitentiæ, dum Fratres prandent, genibus flexis, exuto cappucio, recitare: per dies duos loco, antiquitateque privatum, postremum in omnibus locis sedere: pœnam mediam bis sustinere.

2 Pœna hæc imponetur Regulæ Jejunium non observanti: Cellam alterius noctu, vel Superioris absentis quovis tempore, sine venia ingredienti: rem quampiam è Cella quavis injussu Prælati accipienti: litteras danti, vel accipienti, sine Superioris venia: cujusvis Fratris litteras aperienti, vel retardanti: de Superioris licentia in oppidum eunti, ibique sine illius concessu pernoctanti; cui, si quam culpam aliam commiserit, vel suspectus fuerit,

pro

pro culpæ modo, pœna imponetur. Denique pœna gravis imponetur ei, qui sine debita nomini divino veneratione juraverit, vel culpas, juxta Constitutiones hâc pœnâ puniendas, vel alias similes admiserit.

3 Universas præcedentium Capitum pœnas poterit Prior, vel Vicarius, in Capitulo, vel extra illud ordinariè imponere: & cùm ejusmodi culpæ commissæ fuerint, quibus pœnæ prædictæ sunt assignatæ, pœnam infliget; nisi malit ipse illam pro eo subire, aut, nisi credat alio prudentiori modo illum fore corrigendum; tunc enim eam poterit mutare, vel lenire: at caveat, ne fortè clementia laxitati viam faciat Ad leniendam ergo pœnam gravem Discretum primum consulet: & quamvis vulgò pœnas hic designatas impositurus sit, poterit nihilominùs in aliquo eventu pœnam aliam culpæ oppositam, & his, quæ per Constitutionum præfiguntur, æqualem excogitare, & si credat fore utilem, eam inferre.

4 Prætereà, si quis eam culpam admiserit, cui per Constitutiones pœna non decernatur, Prior, seu Vicarius de consilio duorum Discretorum, qui sunt electione antiquiores, remedium provideat. Quoad culpas etiam, per Constitutiones Præposito, Provinciali, vel Definitorio Generali, aut Provinciali reservatas, si subitaneum remedium

re-

requirant, illud Prior, Vicarius, aut Præsidens de Prædictorum Discretorum consilio adhibeat; & in utroque eventu statim de rebus Superiores, ad quos punitio pertinet, certiores faciat, sub pœna gravi.

CAPUT XXX[illegible]

De pœna graviore.

1. POEna gravior est, in Capitulo unam disciplinam accipere, & posteà in Cellam abdi usque ad horam prandii, ac tunc in Refectorium ingredi, humique sedentem pane dumtexat, & aquâ refici, datoque signo in Cellam reverti, atque à verbis cum Fratribus abstinere, & præterea ejus pœnæ tempore in Chorum non ingredi, sacram Eucharistiam non recipere, voce carere, nulloque intereà officio fungi.

2. Est etiam pœna gravior, voce, ac loco ultra quindecim dies, citra annum tamen, privari, & per singulas hebdomadas ejus pœnæ mortificationem unam extraordinariam subire, & Feriis sextis pane tantùm, & vino uti.

3. Pœna præterea gravior est, ut in Cellam, carceremve ultra quindecim dies, citra tamen annum, reus includatur; & eo tempore, si Sacerdos fuerit, Sacrum non faciat, sed in secretiore loco tantummodò audiat: nullusque

cum

eum conveniat, nec ipse alium, & tertio quoque die genuflexus ante ostium Refectorii exeuntes, ac introëuntes Fratres, ut Deum orent pro ipso, deprecetur, humique sedens iis diebus prandeat.

4. Pœna denique gravior est, ut reus ultra quindecim dies, sed citra annum, habitum more Novitiorum distinctum gerat, & postremus in Choro, ac Refectorio sedeat; & in Capitulo cum Donatis, aut Novitiis, si ibi fuerint, se prosternens de culpis se accuset, tribusque diebus per hebdomadas singulas ad disciplinam se præparet, quam Prior, Vicarius, vel Præsidens, quoties expedire videbitur, inferet.

5. Hæc pœna inferetur ei, qui in Congregatione præcepto formali, sibi, vel omnibus imposito, non obedierit: ei, qui post emissam Professionem divinum Officium non persolverit, de quo fuerit convictus: ei, qui verbo, aut opere proximum absentem, vel præsentem, graviter in fama, vel corpore læserit: ei, qui aliquod è votis externè violaverit, postquam fuerit convictus, aut confessus: ei, qui Superiorum officium usurpaverit; ei, qui Præpositi, aut Definitorium Generalium, aut Procuratoris Generalis, aut Provincialium litteras, ab eis, vel ad eos datas, aperuerit, vel retardaverit: ei, qui Communitatis alicujus,

vel cujuſpiam officio fungentis, ſigillum adulteraverit, vel finxerit: ei denique, qui quævis alia his ſimilia commiſerit.

6. Pœnas omnes has Præpoſitus in tota Congregatione, & Provincialis in ſua Provincia, inferre poterit; ſed, tam erga eas, quàm reliquas prædictas, ac ſubjiciendas, modus, & circumſtantiæ, quibus afficiuntur, ponderentur. Nam iis omnibus prudenter collatis, minui, aut augeri pro rerum ratione valebunt. Verùm de levi aliquoties correptis, nec reſipiſcentibus, levis in mediam, & eâdem proportione media in gravem, gravis in graviorem, gravior in graviſſimam mutetur.

CAPUT XXXV.

De pœna graviſſima, pœniſque aliis peculiaribus.

1. POEna graviſſima eſt expulſio à Congregatione, poſtquam remedia multa priùs adhibita, jam non prodeſſe conſtat: nam ſi proſunt, nemo incorrigibilis cenſendus, ac proptereà nec expellendus eſt. Hæc pœna à Præpoſito, * & ſex Patribus ex gravioribus à Capitulo Generali electis, juxta Decretum Sanctiſſimi D. N. Urbani VIII. imponatur, facto totius rei proceſſu, quem Judices, teſteſque ſubſcribent, & obſervatis aliis in prædi-

cto

cto Decreto præceptis; litteræque dimissionis, quibus fides ubique habeatur, expulso dabuntur, scripto processu vigilanter asservato. Quæ omnia sine sæcularium commercio fiant, nisi res id ferre nequeat.

2. Pœna hæc obstinatis, seu correptionis incapacibus inferetur: cujusmodi sunt ii, quos inferiùs recensemus. Primùm correptionis incapax, obstinatusque putabitur, qui legitimè ob culpam mortalem, ad graviorem pœnam condemnatus, eam ferre ita detrectat, ut tandem pœnæ subjici nolit: qui statim in carcerem detrudatur, per tempus à Definitorio Provinciali præscribendum, adhibitis piis consiliis, & exhortationibus, item jejuniis in pane, & aqua, & aliis ejusmodi remediis; quæ si non prosint, denique expellatur.

3. Si quis etiam (quod Deus avertat) fuerit convictus, aut suspectus vehementer de peccato contra castitatem, trudatur per annum dimidium in carcerem; si autem externis notum fuerit, vel si peccatum iteraverit, pœna dupla ei inferatur: quòd si in his duobus eventibus resipuerit, post resipiscentiam tantumdem temporis voce, ac loco careat, quantùm in carcere mansit. Verùm tertiâ vice relapsus, quasi correptionis incapax, expellatur.

4. Qui, cum scandalo sæcularium, semel contra castitatem peccaverit, in car-

carcerem detrudatur per annum, vel etiam longiore tempore, prout Definitorio Generali visum fuerit. Expletoque hujus pœnæ tempore, voce, ac loco, anno uno, careat. Superior verò sæculares, qui scandalum passi sunt, vocari faciat: quibus præsentibus, eum, qui peccavit, inflictis verberibus corripiat, & in carcerem includi præcipiat. Quod Prælatus semper efficiet, quoties sæculares scandalum passi sunt. Qui hujusmodi remediis non resipuerit, tamquam incorrigibilis expellatur.

5. Apostata, fugitivus, & quivis injussu Prælati à Conventu recedens, si habitu nostro indutus, cum aliquo domesticorum scandalo exierit, per viginti dies; si cum scandalo sæcularium, per quadraginta dies in carcerem trudatur. Si tamen habitu nostro exutus abierit, cum scandalo domesticorum, per quadraginta dies; si cum scandalo sæcularium, per octoginta mittatur in carcerem: & Definitorium Provinciale in hoc ultimo eventu consulatur, ut decernat, quomodo cum reo procedendum sit.

6 Omnes pœnas superiùs in hoc Capite expressas, Prior, Vicarius, vel Præsidens executioni mandare incipiet, & statim Provincialem monebit; præterquàm cùm apostasia, seu fuga, intra octo dies sine scandalo sæcularium contigerit: tunc enim ipse

cum primi Diſcreti conſilio, remedium providebit. Sed, ſi apoſtaſia, ſeu fuga, ultra octo dies duraverit, vel cum ſcandalo ſæcularium acciderit; Prior, Vicarius, vel Præſidens Definitorium Provinciale, ſi tunc celebretur: ſin minùs, Provincialem ſtatim moneat, ut decernat, quamdiu, qui fugit, in carcere detineri, voce, ac loco carere, ac aliis remediis exerceri debeat: nec ſine illorum juſſu, reum è carceris cuſtodia liberabit.

7. Qui ſemel, & iterùm fugerit, præter pœnas ſuperiùs expreſſas, Congregationis antiquitatem amittat; & in poſterum à die reditus, ac novæ receptionis, ei computetur.

8. Qui tertiâ vice fugerit, ut Novitius recipiatur, nec ullo antiquitatis jure gaudebit, ſed poſt annum à receptione ultima lapſum, ejus antiquitas incipiet computari.

9. Verùm, qui quartâ vice fugerit, juxta litteras Pii V. ſanctæ. mem. tanquam incorrigibilis expellatur.

10. Prætereà, ſi apoſtata, vel fugitivus abſuerint tres menſes, antiquitatem Congregationis amittant, quemadmodum de apoſtaſia ſecunda decretum eſt. Si annnm integrum abfuerint, quaſi Novitii recipiantur, ac, ſi ter apoſtatæ fuiſſent. Si verò ultra annum, Definitorium Generale judicet, an ſtatim ſint cenſendi incorrigibiles, & pro arbitrio ſuo puniat.

11. Si

11. Si Congregatio noſtra aliquam ob cauſam expulſos recipere cogatur, ita eos recipiat, ut Fratres Clerici voce, ac loco perpetuò careant: &, ſi ſint in Sacris, ab eorum uſu per ſexennium ſaltem abſtineant; poſt ſexennium autem cum Clericis, ut Sacris fungantur (obſervato emendationis modo) à Definitorio Generali diſpenſari poterit. Cum Donatis autem eodem modo agatur reſpectivè.

12. Qui à Congregatione recedunt, etiamſi ad aliam Religionem, præterquàm Carthuſianam, tranſeant; præter apoſtaſiam, ipſo facto excommunicationem, & infamiæ notam incurrant: excommunicatioque ejuſmodi Præpoſito, vel ei, cui ille rem commiſerit, juxta litteras Sixti Quinti ſanctæ memoriæ datas vigeſimoſeptimo Iunii 1587. reſervatur.

13. Si quis ad Superiorem quempiam externum à Congregationis correptione, præterquàm ad præſcriptum Decreti Clementis VIII. appellaverit (quod litteris ſanctæ memoriæ Sixti Quinti, Gregorii XIII. & ejuſdem Clementis VIII. interdictum eſt) ipſo facto à legitimis omnibus Congregationis actibus excludatur, & in carcerem conjiciatur, quoaduſque poſt annos tres Definitorium Generale, juſta de cauſa, diſpenſet, niſi forte, intra tres, quatuorve dies ab appellatione deſtiterit. Quem nihilominus, ſic reſipiſcen-

tem volumus officio, voce, ac loco in quavis electione privari; &,cum eo in hac pœna à Definitorio Generali, nisi post annos tres, non posse dispensari. Prælati autem, qui pœnam hanc non imponunt, &, qui appellantes defendunt, aut juvant, ab officiis deponantur.

14. Si quis,ex Definitorii Provincialis sententia, sine Congregationis gravi scandalo, aut periculo tolerari nequeat, in carcerem conjiciatur, ac panis, & aquæ j juniis, aliisve pœnis, ad culpæ proportionem, puniatur. Quoties verò alicui ex Constitutione, vel à Prælatis, carceris pœna imponitur; sic accipi debet, ut duobus per hebdomadam diebus quamdiù eam pœnam fert, in pane, & aqua jejunet, & alias pœnas similiter ferat à Priore, pro culparum modo, præscriptas.

15. Quoties quis ex Constitutionibus voce privatus asseritur, sensus est, eum voce tam activâ, quàm passivâ privari, ut nec eligere, nec eligi possit. Privatus verò loco, postremus inter omnes sui gradus, puta Sacerdos inter Sacerdotes sedebit, nisi, cum Constitutio aliud expresserit.

16. In singulis tamen suprascriptis casibus, & in aliis omnibus, in quibus pœna expulsionis erit imponenda, tam carcer unius anni, quàm multiplex charitatis significatio semper expulsionem præcedat; aliaque observentur,

quæ

quæ præcipiuntur in Decreto Sanctissimi D. N Urbani VIII.

CAPUT XXXVI.

De pœna Depositionis.

1. PRælatus quicumque nostræ Congregationis, si quam dignitatem intra, vel extra Congregationem contra votum ambierit, ab officio deponatur: Fratres verò Donati respectivè puniantur Deponatur etiam, quicumque Prælatus, qui peccatum contra votum castitatis, aut pauperratis, palàm commiserit, aut in eo genere fuerit vehementer suspectus: qui in negotiis, præsertim sæcularibus, ita se implicuerit, ut nequeat officio suo satisfacere, & ea de re ter monitus non resipuerit: qui ob ægritudinem, aut aliud quodvis impedimentum, officio suo inutilis fuerit, aut in iis, quæ ex officio præstanda sunt, desidiosè admodùm, magno cum Fratrum detrimento, processerit.

2. Præter ea, quæ dicta sunt, deponatur Superior quicumque nostræ Congregationis, si alicui e nostris Fratribus dignitatem quampiam intra, vel extra Congregationem violenter, putà minis, promissis, precibus importunnis dolo, fraude, aut alio modo simili obtinere per se, vel per alium curaverit. Alii verò Religiosi pœnâ privationis

vocis, ac loci, arbitrio Definitorii Generalis, puniantur.

3. Deponatur Præpositus, & Provincialis, si ob ea, quæ officii proprii sunt, pecuniam, vel quid pretiosum acceperit: si per se ipsum ter, quatervè illa, quæ per Constitutiones Definitorio Generali reservantur, sine Definitorii consensu, expedierit; & sic definita irrita erunt: quod cum eadem pœna depositionis æquè de Provinciali sancimus, si ter, vel quater expedierit, quæ, Definitorio Provinciali reservantur. Cùm verò Præpositus adeò licenter (quod absit) se gesserit, primus Definitor Generalis præstabit, quod erga ejusmodi culpas Præpositi plectendas hâc tertiâ Parte Cap. 12. nu. 9. præscribitur. Quòd, si Provincialis in prædicta culpa fuerit, primus Definitor Provincialis Præpositum monebit, ut Definitorium Generale Provincialem, facto processu, deponat.


4. Definitor ob culpas superiùs expressas, & ob Præpositi officium usurpatum deponatur: si verò litteras, Præposito ac toti simul Definitorio scriptas, semel, & iterùm aperuerit, pœnâ graviore mulctetur; tertiâ tamen vice deponatur: quod æquè de Præposito sancimus. Definitor quoque Provincialis, ob culpas, hoc capite expressas, & ob Provincialis officium usurpatum, & similiter, si litteras Provinciali, & toti simul Provinciæ Definitorio missas

ter

ter aperuerit, deponatur. Quam etiam pœnam feret Provincialis, ſi Præpoſiti officium uſurpaverit, prædictaſque litteras ter aperuerit.

5. Prior ob culpas omnes, hucuſque expreſſas, deponatur; & prætereà, ſi quem Novitium admiſerit in iis eventibus, in quibus, ut ſecundâ Parte Cap. 5. decretum eſt, nullam fieri volumus diſpenſationem: ſi fuerit nimiùm tepidus in legum, & bonarum conſuetudinum à Congregatione probatarum curanda cuſtodia: ſi in conſtruendo Conventu deſcriptionem, ſecundâ Parte Cap. 1. traditam, exceſſerit.





DECLARATIONES.

1. UT nonnulla, quæ in Constitutionibus ambigua videri possent, proprio sensu omnibus pateant, subjectas Declarationes, quæ vim Constitutionum habeant, addere visum est.

2. Declaramus, quoties in Constitutionibus ad aliquid requiritur consensus, vel approbatio Conventûs, Suffragatorum, Examinatorum, Discretorum, Capituli cujuscumque, ac similium, sensum esse, requiri partem majorem, nisi aliter exprimatur in Constitutionibus.

3. Declaramus, quotiescumque in Constitutionibus requiritur, ut juramentum secreti præstetur à Definitorio Generali, à Definitorio Provinciali, Capitulo Provinciali, & Conventuali, nullum juramentum ex supradictis obligare, quin possint Superioribus, nempe Priori proprio, si absens fuerit, Provinciali, Definitorio Provinciali, Capitulo Provinciali, Præposito Generali, Definitorio Generali, & Capitulo Generali respectivè ea, quæcumque

cumque sint, jurata secreta revelari, & tunc Superior teneatur secretum servare.

4. In prima Parte Cap. 5. num. 2. declaramus causam idoneam, ut Horæ matutinæ aliquando mediâ nocte non dicantur, esse Ecclesiæ consuetudinem, & eam necessitatem, quâ Fratres laborant, ob quam, certis anni diebus, æquum est à laboribus eos recreari; ac propterea non recitabuntur nocte mediâ matutinæ sancti Stephani, sancti Joannis Evangelistæ, Sanctorum Innocentium, sancti Thomæ Cantuariensis, & dierum, qui proximè sequuntur Festa Circumcisionis, & Epiphaniæ, dierum trium Paschæ Resurrectionis, trium dierum Pentecostes, & Vigiliæ, quæ præcedit diem Exaltationis sanctæ Crucis, ac diei sequentis Festum sanctæ Matris Nostræ Teresiæ. Cùm ergo Horæ matutinæ justam ob causam mediâ nocte omittuntur pridie illius diei Completorium anticipetur, ita, ut ante, vel post orationem Vespertinam, seu circiter, dicatur; sed expletâ recreatione, alterum Completorium à duobus saltem Fratribus in Choro recitetur.

5. In eodem Cap. 5. num. 3. declaramus, causam idoneam ad prorogandum Completorium aliquanto post crepusculum, esse, eo fortè die advenisse Præpositum, Provincialem, Visitatorem, propriumve Prælatum recen-

ter ingressum, aut post diuturnam absentiam reversum: causam quoque justam in studiorum Monasteriis esse, in Conclusionibus laborasse. In his tamen eventibus recreatio ultrà unam horam non procedat.

6. In Cap. 6. num. 7. declaramus, ordinarios Confessarios è nostris absolvere non posse Fratres nostros à censuris incursis ob apostasiam, & violentam manuum injectionem in Clericos, & ob transgressionem præcepti sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ impositæ à quovis Congregationis Superiore. Prior verò, & Vicarius quilibet, aut Præsidens, qui scilicet præest loco, à quo Prior per absentiam à civitate saltem abest per tres dies, apostatas quoslibet in foro interiori absolvere poterit: reservatâ tamen punitione Superioribus, ad quos pertinet, quando apostasia excedit ejus jurisdictionem.

7. In Cap. 9. num. 2. declaramus, justam causam non observandi jejunium diebus quatuor Natalis Domini, Circumcisionis, & Epiphaniæ, & sanctæ Matris nostræ Teresiæ, esse toto orbe, & apud nos præcipuè lætam horum dierum solemnitatem. Declaramus etiam, quantitatem panis ad collationem in jejuniis Regulæ unicuique apponendam, esse quatuor, vel quinque, in jejuniis verò Ecclesiæ, circiter, duas uncias. Declaramus denique, in collatio-

tionibus jejuniorum Ordinis, pani posse apponi oleris, fructuumve quantitatem modicam : in Ecclesiasticis verò, loco panis, pomum aliquod, vel fructuum aliorum æqualem pani quantitatem, apponi posse.

8. In eodem Capite num. 3. ubi frugalitas commendatur, declaramus, solitum cibum, de quo ibidem agitur, quando non jejunatur, esse unum pulmentum in prandio, & unum ferculum, vel ejus vice pulmentum alterum; quando verò jejunatur, adjungi posse alterum ferculum : quibus omnibus, fructuum, vel olerum quidpiam, si suppetat, solet apponi. In cœna verò declaramus cibum solitum esse unum tantummodò ferculum, vel ejus loco unum pulmentum, cui fructus aliquis, vel acetarium, vel herbæ coctæ adjungi solent. Declaratio hæc, sicut, & Constitutio allegata non excludit morem introductum, juxtà quem Prælati, aliquibus diebus solemnibus, justa de causa, victui ordinario, aliquid addere consueverunt.

9. In eodem Capite num 5. declaramus, posse Priorem interdùm, sed valdè raró, extra Refectorium in locum alium ad prandium, cœnam, vel collationem Fratres omnes convocare; pœnam tamen gravem subeat, qui frequenter hoc egerit.

10. Circa Caput 13. declaramus, posse Superiorem, consulto primo

Discreto, ob corporalem indispositionem, aut animi oppressionem, seu sanitatis gratiâ, Religiosos ad ambulandum in agrum mittere; qui non poterunt tunc aliò divertere, nisi ad locum destinatum à Superiore; & in Conventibus studiorum, vel aliis extrà civitates, & oppida sitis, sanitatis gratiâ, poterit Superior aliquando mittere in agrum plures Religiosos, dummodò ad sæcularium domos, ad eos visitandos, non divertant; & in prædictis Conventibus extrà civitates, & oppida sitis, tempore recreationis possint omnes propè, & extrà Monasterium de licentia Superioris exire, & deambulare, dummodò recreatio vespertina ultrà horam non protrahatur, & caveant Superiores, ne in hoc sit excessus: invigiletque Præpositus, Visitatores, & Provinciales, ne in frequentia, modo, & aliis circumstantiis excedatur; & (si opus fuerit) provideant de remedio, etiam dictum exitum prohibendo.

11. In Cap. 16. declaramus, tempore, ac loco, quo Fratres à labore extraordinariè recreantur, permitti posse aliquod genus honesti ludi, qui ad valetudinem aliquo exercitio corporali prodesse possit: & quando Fratres exeunt, & recreatio extraordinaria habetur, in Choro officium divinum suis temporibus ab aliquibus decenter persolvatur; & recreationes ipsæ extra-

tra.

traordinariæ vespertinæ non differantur ultrà decimam horam, duas scilicet ante mediam noctem. In diebus verò festivis, & Dominicis, quando non jejunatur, à Paschate scilicet usque ad Exaltationem sanctæ Crucis, Fratres nostri non habeant recreationem post Vesperas, sed tantùm post cœnam, & collationem, nisi aliud Priori videatur.

12. In Cap. 19. ubi hospitalitas commendatur, declaramus, ne hospitalitatis prætextu, vitæ licentia serpat, non esse admitendos, & si admissi fuerint, statim ejiciendos apostatas, fugitivos, & quoscumque alios, quavis etiam prælatione, vel officio insignes, etiam è nostris, qui communi, ac regulari vitæ damnum afferant. Hospites verò è Fratribus nostris, qui Sacerdotes fuerint, quotidie pro Conventu Sacrum faciant.

13. Circa Cap. 5. secundæ Partis num. 2. declaramus, hæreticos, qui nationales dicuntur, qui scilicet à parentibus hæreticis, & in hæreticorum terris nati sunt, post tres annos à conversione, si in fide sine relapsu perseveraverint, in Congregatione admittti posse. Quod pariter de schismaticis decernimus. In aliquo tamen gravi casu Præpositus ante tres annos dispensare poterit.

14. In Cap. 7. eâdem secundâ Parte nu 2 declaramus, tres illas Novitio-

rum propositiones fieri debere quarto, octavo, & decimo sui anni, mense, ita, ut ipsos res lateat.

15. In Cap. 8. num. 1. declaramus, voto non ambiendi; officia Præpositi, Definitoris Generalis, Provincialis, Visitatoris, Procuratoris Generalis, Definitoris Provincialis, Prioris, Vicarii canonicè electi, Socii, & Substituti Capituli Generalis, & Socii, Capituli Provincialis, & non alia includi: ipso verò ambiendi verbo externos actus ambitionis, cum deliberatione procedentes, intelligi.

16. Circa Cap 7. tertiæ Partis, declaramus, eum Religiosum antiquiorem alio esse, qui primus, quàm alius in eodem Conventu Professionem emittit, etiamsi uterque eâdem horâ profiteatur: inter eos verò, qui in diversis Conventibus profitentur, declaramus, eos æquales esse, qui eodem unius diei manè profitentur; & similiter, qui eodem vespere Professionem emittunt; tametsi inter duos, qui, seu manè, seu vesperi profitentur, aliquantùm spatii à Professione unius, usque ad Professionem alterius intercedat; inter quos tamen, qui est ætate major, erit loco prior.

17. Cap. 10. ejusdem Partis num. 5. circa verba illa, quæ ad gubernationem pertinent; declaramus, gubernationis nomine intelligi debere actus proprios, & auctoritatem Capituli Generalis,

neralis, & Provincialis, & Definitorii Generalis, & Provincialis: numerum, & durationem Definitorum, Prælatorum, hoc est Præpositi, Vicarii Generalis, Provincialis, & Vicarii Provincialis, Prioris, Vicarii Conventus canonicè electi officia: casuum Capitulo Generali, & Provinciali, ac Definitorio Generali, & provinciali reservatorum expeditionem.

18. Declaramus, quoties per aliquam Constitutionem nostram imponitur pœna ipso facto incurrenda, intelligi debere post Iudicis declarationem.

19. Declaramus, eos, qui ob quorumvis Prælatorum nostrorum mortem, depositionem, vel infirmitatem, vel quamlibet aliam causam eliguntur ad eas Prælationes, vel officia tempore intermedio, quod ab uno in aliud Capitulum labitur, assumi posse in Capitulis proximè sequentibus ad easdem Prælationes, & officia per electionem ordinariam majoris partis suffragiorum, si triennio non duraverint, vel in Definitoriis Generali, seu Provinciali immediatis post Capitula triennalia Generale, vel Provinciale non fuerint electi.

20. Constitutiones has de novo relectas, & aliquibus in locis correctas, & auctas, Patres Capituli Generalis in Conventu sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Lodani mense Iunii anno M. DC. XXIII. celebrati concorditer acceptarunt.

Cùm

Cùm autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Præpoſitus, & Fratres prædicti pluri-mùm cupiant præinſertas Conſtitutiones hujuſmodi, quæ à dilecto Filio noſtro Martio ſanctæ Mariæ novæ Diacono Cardinale Ginetto nuncupato, noſtro in Alma Urbe Vicario in ſpiritualibus Generali, de mandato noſtro recognitæ fuerunt, pro firmiori eorum ſubſiſtentia, & inviolabili obſervantia, Apoſtolicæ noſtræ confirmationis robore communiri; nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut eorum votis hujuſmodi annuere, ac deſuper opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, dictæ Congregationis proſperam, fęlicemque directionem ſinceris deſiderantes affectibus, Præpoſitum, & Fratres prædictos ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, eorumque ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicatio-

tionis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Constitutiones preinsertas hujusmodi Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, & singulos tam juris, quàm facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: Decernentes, easdem Constitutiones ab omnibus, & singulis dictæ Congregationis Fratribus, sub pęnis in eis contentis, inviolabiliter observari, easque, ac præsentes litteras, semper, & perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque ple-

plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxij. Martii M. DC. XXXI. Pontificatus Nostri anno octavo.

Locus † annuli Piscatoris.

M. A. Maraldus.

JESUS MARIA.

Ordinationes, quæ ex legum nostrarum præscripto in Constitutiones transierunt ab anno 1623 quo dictæ Constitutiones à Patribus Capituli Generalis in Conventu Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Lodani celebrati concorditer acceptatæ fuerunt, usque ad Capitulum Generale anno 1695. inclusivè, iuxta earumdem Constitutionum seriem distributæ.

1. Rima parte cap. 3. num. 10. post illa verba: parvam capsam obseratam, dicatur: Prioribus verò concedenda est capsula, vulgò tiratore affixa mensæ.

2. Prima parte cap. 13. num. 15. in fine addatur: omnibus fratribus nostris etiam non Sacerdotibus assignetur conventualitas in aliquo Conventu.

3. Primâ parte cap. 17. num. 2. post illa verba: unam verò omnes alii sacerdotes omnium Conventuum illius Provinciæ, addatur: & quando aliquis Missionarius moritur in missionibus, vel in itinere destinatus ad aliquam missionem, debet gaudere suffragiis debitis nostris Religiosis in il-

la Provincia, in qua erat Conventualis, antequam esset destinatus ad Seminarium, vel ud aliquam missionem particularem: & idem intelligatur de Conventibus subjectis regimini Definitorii Generalis.

4. Eodem capite, & numero, post illa verba: Missæ privatæ dicantur; loco subsequentium: & recitabitur unum Nocturnum cum Laudibus; ponatur: & recitabitur post Vesperas, vel alio opportuniori tempore, Responsorium: libera me Domine; cum oratione.

5. Secundà parte cap. 1. num, 3. in fine numeri addatur: Nisi Capitulum Generale re benè pensatâ concedat, ut in unaquaque Provincia possit esse una, vel altera domus cum majori numero Religiosorum, quàm quadraginta.

6. Secundà parte, cap. 1. num. 10. post illa verba: mixtis lapidibus parietes vestiantur; addatur sub parenthesi (exceptâ Ecclesiâ Sanctæ Mariæ de Victoria Romæ.)

7 Secundâ parte, cap. 4. num, 1. in fine numeri addatur: neque Reverendus Pater Noster Præpositus Generalis, neque Definitorium Generale, neque Definitorium Provinciale, neque Provincialis possint dispensare, quod Donati induendi non maneant per duos menses domi, antequam induantur, neque, quod ante duos annos professio-

fessionem emittant, juxta Constitutiones.

8. Secundâ parte, cap. 5. num. 2. in fine numeri addatur: Declarantes, quod licet habilitatus aliundè fuerit, qui ad nostrum habitum admittendus est, in defectibus in hoc secundo numero contentis, debet etiam habilitari à nostris Superioribus, quibus competit, quantùm ad nos attinet.

9. Secundâ parte, cap 8. num. 5. in fine numeri addatur: Hi verò, qui ex aliis Religionibus Professi admittuntur ad nostram, non habeant vocem activam, nec passivam in Capitulis, nisi transactis sex annis à Professione.

10. Secundâ parte, cap. 9. num. 11. in fine, addatur: qui Prior non possit ad suum libitum facere expensas magni momenti, sine licentia Patris Provincialis, nisi pro victu, & vestitu religiosorum, & pro reparatione domus.

11. Tertiâ parte cap. 3. num. 6. post illa verba (ex his, quæ per nostras Constitutiones ambiri non possunt) addatur: declarantes dictum præceptum, de non procurando pro alio, debere intelligi juxta nostràs Constitutiones tertiâ parte cap. 36. num. 2.

12. Tertia parte cap. 4. in fine num. 10. addatur: In Capitulis, tam Generalibus, quàm Provincialibus immediatè post primas electiones eligantur tres in-

dices

dices ex Gremialibus Capituli, qui teneantur inquirere, & punire antequam Capitulum dissolvatur, tam illos, qui contra justitiam, & charitatem circa electiones deliquerint, quam alios non Gremiales, qui prius non rogati ab eo, vel iis, cum quo, vel cum quibus tractant, se ingerunt circa electiones canonicas faciendas. Et prædicti judices eligantur eo modo, quo eliguntur discreti in Capitulis Conventualibus; quorum tamen Visitationi, & examini non subiacet R. P. N. Generalis; & casu, quo P. Provincialis recenter electus non eligatur in Iudicem, non possint ferre sententiam conrra eum; possint tamen informationem capere, & teneantur illam remittere Definitorio Generali, ab illo per sententiam, si quid contrà ipsum deferatur, terminandum.

13. Tertiâ parte, cap. 5. num. 2. post illa verba (in virtute sanctæ obedientiæ, & sub præcepto, vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ) addatur: quod præceptum formale debet imponi sub prædicta forma, & non sub alia.

14. Tertiâ parte cap. 8. num. 3. in fine numeri addatur: singuli verò Patres Capituli antequam discedant, faciant unum sacrum privatum pro Defunctis nostræ Congregationis; & pro Benefactoribus nostris, pro quo nulla recipiatur eleemosyna.

15. Ter-

15. Tertiâ parte, cap. 9. num. 8. in fine addatur: quod Definitorium Generale, immediatè post Capitulum Generale celebrandum, sit censendum ordinarium.

16. Declaraverunt Patres, quòd quando Constitutio nostra 3. p. cap. 10. num 2. & cap. 22. num. 2. prohibet, ne socii R. P. N. Generalis, & Patrum Provincialium habeant vocem in Capitulis, intelligenda sit, quòd non habeant vocem ex eo præcisè, quòd sunt socii, nempè, quòd assumpti in socios, ut suprà, non acquirant per talem assumptionem jus, seu privilegium aliquod suffragandi in Capitulis, & quod dicti socii habeant vocem in Capitulis, sicut habent alii conventuales juxta nostras Constitutiones.

17. Tertiâ parte cap. 12. num. 3. post illa verba: ad numerum quinarium implendum, electi, addatur: Quod si tempore, quo celebrari deberet Definitorium aliquod Generale ex duobus ordinariis, tres Definitores quacumque ex causa, absint, Reverendus Pater Ptæpositus, Definitor, qui aderit, & Procurator Generalis debeant eligere duos substitutos pro illo definitorio celebrando; ne Religionis negotia retardentur, ita tamen, quod si tunc occurrerit aliqua electio Definitoris Generalis facienda, non fiat in illo Definitorio, sed expecte-

tur

tur donec tres saltem ex Definitorio conveniant, qui juxtà constitutiones eligent substitutum, vel substitutos. Quod, si tres Definitores mortui sint, vel eorum officia, quocumque modo, vacaverint, vel etiam viventes alteri Definitorio ordinario non adfuerint, vel Capitulum Generale celebrandum immineat, illi tres, cum duobus substitutis, electionem faciant. Declarantes autem, eo ipso, quod ex quacumque causa Definitorium ordinarium non fuerit celebratum tempore præscripto, illud aliud, quod immediatè celebratur, censendum esse ordinarium.

19. Tertiâ parte, cap. 12. num. 3. post illa verba (ita ut semper in Definitorio quinque cum voto decisivo reperiantur) addatur: in unoquoque Definitorio Generali legitimè congregato, si unus, vel duo ex Definitorio, etiam si inter eos sit præses, noluerint in aliqua propositione legitimè proposita suffragari, & à loco Definitorii non recesserint, Decretum, in quo tria suffragia consenserint, sit validum; si verò à loco Definitorii recesserint, & noluerint suffragari, duobus diebus elapsis eligatur è reliquis unus, vel duo substituti ad quinarium numerum implendum pro illa propositione tantùm terminanda; & ab illis quinque fiat Decretum per majorem partem suffragiorum. Et id, quod dicitur de propositione, intelligatur etiam de ele-

ctionibus in quocumque Definitorio faciendis.

19 Eodem numero addatur etiam: Definitorium Generale congregatum sine Reverendo Patre Nostro Generali, eo ipso sit nullum, præterquam in casibus per nostras Constitutiones expressis; & insuper quando ipse Pater Generalis consenserit, ut Definitorium sine ipso celebretur.

20. Tertiâ parte, cap. 13. num. 3. post illa verba: exire non possit; addatur: nisi cum proprio socio, quem habere potest; vel cum alio a Superiore domûs designato.

21. Tertiâ parte, cap. 16. num. 10. post illa verba: Quo Capitulum Generale celebratur vacet, addenda sunt sequentia: Debet præsidere Prouinciæ primus Definitor, qui sub pœna suspensionis ab officio per sex menses, teneatur statim Capitulum congregare ad Vicarium Provincialem eligendum, qui ad Capitulum Generale conveniat, &c.

22. Tertia parte, cap. 17 num. 1. post illa verba (in qua electione Provincialis non feret suffragium) addatur: primus tamen socius electus pro Capitulo Generali debet ferre suffragium in electione secundi socii, & idem de secundo socio respectu substitutorum, & de primo substituto respectu secundi.

23. Tertiâ parte, cap. 20. num. 3.

 in

in fine addatur : ſinguli verò Patres Capituli, antequam diſcedant, faciant unum ſacrum privatum pro defunctis, & Benefactoribus illius Provinciæ, pro quo nulla recipiatur eleemoſyna.

24. Tertiâ parte, cap. 21. num. 4. poſt illa verba : conſcientias eligentium oneramus, addatur : Qui appellandus ſit Magiſter Novitiorum, & non Supprior, habeatque omnem authoritatem, quæ per Conſtitutiones noſtras conceditur Supprioribus, & Magiſtris Novitiorum, ſimulque poſſit eſſe Definitor Generalis, vel Definitor Provincialis, & in ea domo non eligatur Supprior.

25. Tertiâ parte, cap. 24. num. 3. poſt illa verba (ad numerum quinarium implendum electi) addatur : in unoquoque Definitorio Provinciali legitimè congregato, ſi unus, vel duo ex Definitorio, etiamſi inter eos ſit Præſes, noluerint in aliqua propoſitione legitimè propoſita ſuffragari, & à loco Definitorii non receſſerint, decretum, in quo tria ſuffragia conſenſerint, ſit validum ; ſi verò à loco Definitorii receſſerint, & noluerint ſuffragari, duobus diebus elapſis, eligatur à reliquis unus, vel duo ſubſtituti ad quinarium numerum implendum pro illa propoſitione tantùm terminanda, & ab illis quinque fiat Decretum per majorem partem ſuffragiorum. Et id, quod dicitur de propoſitione, intelligatur

etiam

etiam de electionibus in quocumque Definitorio faciendis.

26. Eodem numero in fine addatur: Definitorium autem Provinciale congregatum sine Patre Provinciali eo ipso sit nullum, præterquam in casibus per nostras Constitutiones expressis: & insuper quando ipse Pater Provincialis consenserit, ut Definitorium sine ipso celebretur, & prætereà quando adveniente tempore statuto pro celebrando Definitorio Provinciali ordinario, Pater Provincialis, vel Vicarius Provincialis non accesserit: hoc enim casu expectetur per mensem, numerandum à die præfixo ad Definitorium Provinciale celebrandum, quo elapso, & non accedente, celebretur Definitorium, nisi major Definitorum pars judicaverit illud tempus esse ulteriùs prorogandum.

27. Tertiâ parte cap. 27. num. 1. post illa verba (ante dies octo quàm Prior in Capitulum migret) addatur: & in Conventibus, in quibus debet celebrari Capitulum Provinciale, ante idem etiam tempus octo dierum, quàm Capitulum incipiat.

LAUS DEO.

Quarta pars Palmi pro Fabricis.


Pro Fratrum indumentis.

INDEX CAPITUM
PRIMÆ PARTIS
CONSTITUTIONUM.

Secundæ Partis.

Cap.

Tertiæ Partis.



INDEX RERUM

Primus numerus paginam, alter marginalem numerum denotat.

Vnicuique litteræ adjuncta est nonnullarum vocum appendix ad faciliorem indaginem.

Quicquid pertinet ad Eremum, ordine Alphabetico digestum invenies verbo *Eremus*.

Et Ordinationes, quæ transierunt in Constitutiones notantur suis locis. *

A.

 ordine

APPENDIX.

B.

APPENDIX.

C.

Præ-

rum

sa-

à

ex-

Ca-

Con-

 mitte-

A P-

APPENDIX.

De

D

Sup.

Defi-

Ejus

Con-



APPENDIX.

E.

EREMUS.

8. Re-

efficiant

APPENDIX.

G.

APPENDIX.

H.

A P P E N D I X.

I.

Cla.

APPENDIX.

L.

sit

APPENDIX.

M.

APPENDIX

N.

Ejus

APPENDIX.

O.

APPENDIX.

PAL.

P.

rendo

ctum

 sub-

tur:

rator

tiae-

APPENDIX.

T.

APPENDIX.

V.

Visit.

APPENDIX.

Z.

FINIS.

Laus Deo, Beatissimæque Virgini Matri.

PROFESSIO FIDEI,

A Gremialibus Capituli Generalis, & Provincialis, & à Prioribus in ſuis Conventibus facienda.

EGo N. firmâ fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in ſymbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in ùnum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, conſubſtantialem Patri; per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine: & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertiâ die ſecundùm ſcripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur: qui locutus eſt per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam

Eccle-

Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum; Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector

Item, sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo

verum,

verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro vivis, & defunctis: atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, unà cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi: fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fateor etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari: similiter, & sanctos, unà cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmissimè assero, Imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiäno Populo maximè salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi

sti

tiae

APPENDIX.

T.

APPENDIX.

V.

Vis-

APPENDIX.

Z.

FINIS.

Laus Deo, Beatissimæque Virgini Matri.

PROFESSIO FIDEI,

A Gremialibus Capituli Generalis, & Provincialis, & à Prioribus in suis Conventibus facienda.

EGo N. firmâ fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundùm scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem; qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Eccle-

Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

Item, sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè Sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria: scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaque gratiam conferre: & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto.

Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo

verum,

verum , proprium , & propitiatorium ſacrificium pro vivis, & defunctis: atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè , realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, unà cum anima , & divinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus , & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem : quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat .

Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum , verumque Sacramentum ſumi .

Conſtanter teneo Purgatorium eſſe , animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari: ſimiliter , & ſanctos , unà cum Chriſto regnantes , venerandos, atque invocandos eſſe ; eoſque orationes Deo pro nobis offerre , atque eorum reliquias eſſe venerandas .

Firmiſſimè aſſero , Imagines Chriſti , ac Deiparæ ſemper Virginis , nec non aliorum Sanctorum , habendas , & retinendas eſſe , atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam .

Indulgentiarum etiam poteſtatem à Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe , illarumque uſum Chriſtiäno Populo maximè ſalutarem eſſe affirmo .

Sanctam , Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco , Romanoque Pontifici , Beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori , ac Ieſu Chriſti

ſti

fti Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro.

Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & rejectas, & anathematizatas ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adjuvante) retinère, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad mè in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum, Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

